



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



90h.pr.92<sup>ea</sup>

Bartoli

Digitized by Google



Ph. Rz. 79.  
92 <sup>ba</sup>  
—

Philos. Ethica popul.  
2110.

CHARACTER  
**HOMINIS**  
LITERATI,  
Olim à P. DANIELE  
BARTOLI  
è SOCIET. JESU  
ITALICE EDITUS;  
Cor: *NUN* à P. LUDOVICO JANINO  
EX EADEM SOC.  
LATINE REDDITUS.

*Opusculum, docentibus & quæ ac discentibus  
utile ac necessarium.*



*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*  
Apud PETRUM ALSTORFF,  
Anno MDCLXXIV.

*Permissu Superiorum.*

BAYERISCHE  
STAATLICHE  
BIBLIOTHEK  
MÜNCHEN



# PRÆFATIO AD LECTOREM.

**L**iterarum splendorem duplex maculat nævus: alterum huic offundunt imperitorum calumpniæ, alterum ipsi met suis vitiis literati. Odere ignari literas, ut quas non valent contueri: nam si demus noctuis oculos, jam noctuæ esse desinant, & in Solis alites evadant. Pars verò literatorum non minima literis utitur, tanquam luce maleficâ stellæ, ad cæli pestilentis circumferendam luem; remque omnium summè amabilem in omnium invidiam trahunt.

ā 2

Sic

III  
Si

## PRÆFATIO

Sic sua literas nihil juvat ad conciliandam sibi hominum gratiam sincera integritas ; dum hinc malèsanis aliorum damnantur judiciis, inde aliorum vitiis inquinatæ traducuntur vulgò pro noxiis. Quid vetet igitur ab uno quopiam, non dico excultioris ingenii, sed sensùs mediocris, innocentiam illarum defendi , & lato risu cum Anaxagorà, vulgi rudis ignorantiam falsè ludì? Is eniin de Solis, ut ita dicam, gloriâ non minùs sollicitus, quam ejus motuum sedulus inspecto & doctus, cùm defectio Solis aliqua contingeret, & homines videret Soli tenebras imputare, quas eorum oculi Lunæ objectu patarentur,

## AD LECTOREM.

rentur, imperare sibi non poterat, quò minus tam crassum imperiti vulgus errorem risu & sibi lo castigaret. Enimverò dispensatorem ac dominum lucis non posse luce illâ Sō tem destitui; quæ sic esset illi con genita, ut cum eâ unum efficeret. *Vnde* (quærerit egregius Orator) obscuritas literarum? Nisi quia vel obtrectationibus imperitorum, vel abutentium vitio splendor ius intercipitur? Sed cùm pauca pro illarum causâ dicenda occurrant, ut quæ suo fere se tuetur jure, pro copiâ verò argumenti multa; ego neutri auctoratus, quæ dicenda putavi, otio mensus sum, quod mihi indicebat fervens canicula; eáque laxando potius stylo,

ā 3      quam .tyl.  
quā

PRÆF. AD LECT.

quàm ad cujusquam docu-  
mentum fudi. Hæcverò per-  
pauca sìnt licèt , non dubito  
tamen visum iri etiam nimis  
multa , cùm dici male nihil  
ponat tam breviter, quin cre-  
datur dictum prolixius.

TOTIUS

—**TOTIUS LIBRI**  
**CAPITUM ELENCHUS.**

---

**PARS PRIOR.**

**SAPIENTIA FELIX.**

**V**iles ferè apud Principes literati, haud  
tamen propterea minus felices.

pag. i

*Sapientis felicitas in contemplatione re-  
rum cœlestium.* p. 10

*Sapiens in paupertate felix.* p. 12

*Sapiens felix in exilio.* p. 32

*Sapiens in carcere liber & felix.* p. 44

*Sapiens felix in morbo.* p. 52

# PARS POSTERIOR.

## IGNORANTIA INFELIX.

<b>I</b> gnorantia cum sanctitate.	p. 63
<i>Ignorantia in dignitate.</i>	p. 71
<i>Ignorantia in armis.</i>	p. 80
<i>Ignorantia in divitiis.</i>	p. 89
<i>Ignorantia pudor inter eruditorum sermones muta.</i>	p. 96

## LITERARIA PLAGIARIORUM FURTA.

<i>Astu multiplici fructum alieni laboris sibi vendicant non pauci.</i>	p. 104
<i>Nihil est ab aliis auferendum, sed novi aliquid de suo excogitandum.</i>	p. 116
<i>Qui possint furto laudabili, nedum innocentia, alieni labores in nostros usus verti.</i>	p. 131

LIBRI

## LIBRI OBSCOENI.

- Obscoeni poëtæ infamis professio.* p. 141  
*Defensiones poëtarum impudicorum improbae.* p. 147  
*De probo improborum librorum usu.* p. 157  
*Adscriptores impudicos parenæsis.* p. 166

## MALEDICENTIA.

- Pronus ad obtrectandum genus, & ad hoc insita ingenio pravitas.* p. 174  
*Qui errat scribendo, detrectare non debet emendationem, nec illam qui nescit vel exigere vel tentare.* p. 181  
*Lubricum scribendi adversus alios & prose negotium, & apta utrique monita.* p. 193

## PRÆFIDENTIA ERUDITIONIS.

- Magnifica suæ in literis doctrine opinio, alienæ viliis contemptio.* p. 202  
Incre-

*Increduli res fidei philosophicè tractantes,  
res philosophicas religiose venerantes.*

p. 211

## IGNAVIA ET ERROR.

*Ignavia & error parum studentium &  
multum scire volentium.*

p. 218

## IMPRUDENTIA.

*Inanis & cassa eorum contentio, qui ad-  
versante genio discendas suscipiunt li-  
teras.*

p. 230

*Ingenii optimi argumenta, quæ de suis ob-  
servationibus Physiognomi colligunt,  
infida.*

p. 238

*Ingeniorum varietas, excellentia, procli-  
vitates diversæ, quos ortus habeant.*

245

## A M B I T I O.

*Quām sint stulti, qui doctrinæ famam  
dum appetunt, inscientiæ claram fa-  
mam edendis libris assequuntur.*

p. 257

*Quām infortunatus in studendo sit labor,  
qui confertur ad inutilia scribenda.*

p. 267

## A V A R I T I A.

*Reum esse ignorantia multorum, qui libris  
scriben-*

scribendis eam, cùm possit, non corrigit.

p. 275

Bonorum auctorum felicitas incompara-  
bilis. p. 282

## OBSCURITAS.

Duae illius causa: confusa natura ingenii,  
Et ambitiosi affectatio. p. 289

De materia delectu, quæ scribentis vires  
non superet. p. 296

Argumenti partitio, Et primis lineis ad-  
umbrata tractationis ejus designatio.  
p. 301

Apparatus materiae quem sylvam nomi-  
nant. p. 304

Hesitatio eorum, quibus inceptu nihil  
difficilior. p. 310

Accommodanda est variis argumentis  
varietas. p. 314

De stylo recentioris aevi, quem vernacula  
lingua modernum vocant. p. 322

Ubinam erret iudicium in usu floridioris  
styli, Et nimis exquisiti. p. 330

De suorum cuiusque operum examine Et  
emendatione. p. 337

APPRO-

338


## APPROBATIO.

EGO infrascriptus Societatis Jesu per  
provinciam Rheni Inferioris Præ-  
positus Provincialis, potestate mihi à  
Patre Nostro P. Joanne Paulo Olivâ  
Præposito Generali ad id factâ , conce-  
do *Petro Alstorff*, Civi & Typographo  
Coloniensi facultatem recudendi Tra-  
ctatum , *Characterem hominis literati*  
dictum, olim à *P. Daniele Bartoli* è So-  
cietate Jesu Italicè editum , nunc à *P.*  
*Ludovico Janino* ex eadem Societate La-  
tinè redditum , eidemque Jus Cæsarei  
Privilegii usurpandi eatenus indulgeo,  
ut ipso invito Librum hunc nemo de-  
inceps recudere, nemo intra S. R. Im-  
perii fines, & hæreditarias S. Cæs. Ma-  
jest. provincias importare, aut venum-  
exponere audeat. In cuius rei fidem  
has literas manu nostrâ subscriptas , &  
sigillo nostro munitas dedimus. Co-  
loniae 25 Octobris, 1673.

Winandus Weidenfeldt.

m.p.

CHARA-



# CHARACTER HOMINIS LITERATI.

---

## PARS PRIOR.

### SAPIENTIA FELIX.

*Viles ferè in aulis virorum Principum literati, haud tamen minus propterea felices.*

**E**ST hæc miseræ virtutis, melius dixerio, infelicitas quam fatum, ut nusquam gentium nanciscatur sedem merito suo parem, nusquam basin locandæ statuæ capacem. Fluxere pridem illa quondam tota ex auro contexta sæcula, quibus sub hasta prostabant coronæ, nec certebris modò laxioribus adstringendis fasciæ

A para-

parabantur, sed multo ambitiosius, sapientum ornandis capitibus, & condecorandæ gravitati. Frustra dudum templi quæruntur vestigia quod olim Honori sacratum, neminem admittebat, nisi quem meriti fores arduæ induxissent. Verum ita nunc solo non modò æquatum, sed tantis altius sepultum est spatiis, ut ejus nec excitandi spes reliqua sit, nec monumentum agnoscendi. Nitatur in sublime virtus quoad valet ac volet, palmo altior non evadet, ut nec vicinæ Antarcticō stellæ, quas sexaginta sæculorum vertigo assidua nondum potuit videndas nostro sistere Horizonti. Fœti auro montes, carent deliciis nemorum, & ubertate pascuorum, cinerem fere exhibit & glabretæ ; rupiumque suarum velut ossium grandiorum propudiosa nuditate, vestitis collibus horrore, & contemptui sunt. Hac inter homines conditione degit virtus. Venis auri distenta rum�atur, tanto egebit exterius, quanto erit apud se ditior, nec suos cuiquam in dubio relinquet natales, quibus proditur quondam in Paradiso voluptatis, uno partu cum nuditate in lucem venisse, nec ab ea unquam postea disjuncta. Habetur honos vestibus corporis, non mentis. Claudat hæc si nu Bonitatem, & sapientiam, omnemque cœli g̃azam ; si conchæ prætulerit asperum cornicem, omnium oculos, nedum animum avertet.

Porro

Porto hæc sibi cum literis communi sorte sic nata est virtus, ut astrum idem utrasque copulet, suoque in ortum earum, ascensu, ascensum iis vetet fato immobili. Adversa iis omnium gratia & favor; mecenates & liberalitas; aspectus benefici, & fortuna omnis nisi quâ parte infortunata est.

(s) Vetus nobis ostentatur prodigium Dionysii tyranni Platoni suo, in regio curru aurigantis, velut solem triumphantem duceret; Alexandri Severi Ulpiano ad venerationem, & tutelam paludamentum obtemperantis; Justiniani, Sigismundi, & similium, aulas suas in literatorum domos vertentium, & eas frequentius quam palatia sua terentium, magnisque illos habentium sumptibus, per quos vitam in postbris ducturi essent immortalem. At isti tam quondam feraces Elysii, ne umbram quidem, nedum aliquid fructuum suggerunt. Latent aulis clausi virorum principum aetius quam Aeoli antro illi ætatis beatæ favonii, aurum olim prostantes, nec illud modò interiit, ut penes sapientes regnum sit, quod illi ætati Posidonius ait in usu fuisse, verum illud item *ut penes Reges sine sapienties.*

A 2

Nec

(a) *Aelian. L 4. var. hist.*

4      *Character hominis literati,*

Nec verò propterea, quòd aliqui fortè literatorum libri, apud ingenia dīvitum gratiam nacti sint, ejus gratiæ partem ullam in suos auctores transferre potuerunt; sed iis in re præsenti factum, quod Lactantius alibi sculptoribus extrobrat, nempe ut illorum adoraretur manus & labor in statuis, cæterum ipsi spernerentur; donis statuæ colerentur, premerentur tributis earum artifices; suspicerentur pro diis saxa, pro saxis sculptores calcarentur. (a) *Quid inter se tam contrarium, quām statuarium despicere, statuam adorare, & eum ne in convivium quidem admittere, qui tibi Deos faciat?*

Beatos Dux quidam Mediolanensis censebat Principes, quibus esset in promptu purpureum, & aureum rete, quo magna industria dignis conditionibus pescarentur in omni genere artium, iis nullas esse gemmas principum digitis digniores. Famosa est illa divitis antiqui stoliditas, qui ex bove aquila fieri ambiens, magnis pretiis lucernam emit, ad quam vigilans Epictetus sapientiae solem de illa sibi accenderat. Sed enim cartis lucem non ingenio lucerna suggerebat, & nullo studiorum compendio, ab oculis mentem, ut erat, cæcam & stupidam subibat.

Ardene

(a) *De orig. error. c. 2. ex Seneca.*

Ardent viva luce literati, ad cujus radios illa  
dereguntur, agnoscunturque Palladia, qui-  
bus ditionum felicitas, & securitas principum  
continetur. Hi sunt veri de fabula oculi,  
quibus vel mutuò acceptis, cæcus princeps,  
Argus fit totus oculeus. Nec planè minoris  
existimandi sunt, si pace verum est, quod  
bello censet Vegetius: (a) *Neque quenquam*  
*magis decet, vel meliora scire, vel plura quam*  
*principem, cuius doctrina omnibus potest prodi-*  
*esse subjectis.* Hujus adhuc rudis consilii Diony-  
sius Rex, joco magis quam serio interrogavit Aristippum, unde tanta Philosophorum  
turba, divitum fores pro pane ob sideret; Phi-  
losophorum januis nemo dives pro sapientia  
adstaret? Cui scitè ac statim Aristippus, inde  
id fieri, quòd ignorantे divites, qua re e-  
gerent potissimum, Philosophi noscēnt.  
Quòd ægrè quingentos post annos, phænicis  
instar, prodigiosa spectentur ingenia, suis in-  
ventis, & artibus homines ditatura, non fa-  
cit regionum sterilitas, aut ævi ullius effœta  
indoles; sed quia occludunt appulsis portum,  
aut subducunt escam volantibus. (b) *Pauci*  
*sunt Poëta, literati pauci. Feras etiam fu-*  
*gat cubilis defectus & pabuli.* Quòd di-  
vinioris scientiæ gloria fama, in stuporem

A ; morta-

(a) *Proœm. lib. i.* (b) *Ariost.*

mortales jam rapiat nemo , error est divi-  
tum , qui ponendis theatris Vitruvii moni-  
ta non advertunt. Cavendum videlicet  
imprimis , ne theatri fabrica surda sit , &  
frustra comœdi , ac musici pulmones rum-  
pant , ac fauces lacerent. Quam multi ut  
gravis & emortuus vapor , palmo à terra vix  
afflurgunt quos solis benefici favens radius si  
afflaret , panderetque illorum laboribus si-  
num , nihilo forent stellis majoribus mi-  
nores. Feracitatem vitis suam , ulmo debet  
cui innititur , & cui adhæret. Quovis in ge-  
nere , ac professione literarum excellere , &  
primas assequi , nec est opera levior cujuscum-  
que hominis viribus nec vita brevior. Quid  
mirum igitur , si tanti quis , nolit tam ni-  
hilum emere , vitamque absumere , dumta-  
xat ut victum consequatur.

Velociora sunt decuplo cœteris largè pi-  
cata navigia , & probe uncta volant quæ  
ante plumbæ videbantur ; nec dissimili-  
ter ingeniis beneficentia ingenium subdit,  
atque ubi ad vellus aureum navigatur , re-  
mis per se , mobilibus cursum suum Ar-  
go præcipitat. Quotidianus certè cum e-  
gestate misera conflictus , & parandæ ad  
cœnam patellæ anxietas improba , nidum  
in literis tranquillum non præbet. Mella  
ex apibus qui poscunt , vento iis carent ,  
alio-

alioqui nec alvearia exituris, nec flores paſſim libaturis, nec prædam convecturis per intercipientium objecta flatuum. Nunquam literato, laboris eximii facultatem dabit, ſollicitudo urgentis ſubſidii multiplex, & captandi victus dura neceſſitas. In quietem ſtudendi otiosam, pulchrè id ac belle recidiit, quod in poëtas quidam luſit. (a) *Letum nidorum, escam dulcem, mitem auram Cygni amant.* Mordaces curas Parnassus non capit. *Suo ſemper cum fato, & inopia disputans raucescit, cantum perdit, obmutescit.* Exprobrabat Athenis Demosthenes ſacrosanctam navim, Sacerdotibus Delphos ad Sacrificia devehendis deltinatam, animantibus & lignis profanari; ventis indignantibus, & mari, tantum ab eâ quæ fuerat deſcivisse. At enim ecquid eſt factilegii tolerabilioris; cœlo miſium ſublimis ingenii animum, & magnarum in utilitates publicas cogitationum, carioremque ſuperis, quam hominibus notum, pane quærendo occupari; tegendæ nuditati, laxandæ fami, ſiti, frigori, miferiis nobiles curas impendere. Uſque adeò volatus heroiſorum ſenſuum, & ſuſceptorum magnificientiam operum deorsum retorquet neceſſitatis importunæ dura violentia, & ge-

nerosis eorum conatibus obſiſtit. Hinc illa Satyrici aduersus Numitorēm, ejusque tunc ſimiles indignatio, cū feris cerneret recep-  
tum p̄ſeberi commodum; ubi hominibus, &  
dicere liceat, majoribus homine non dare-  
tur: implendis leonum ventribus carnes a-  
bundare; Emaciato Poetæ, vix panem ſup-  
petere.

— Non defuit illi,  
Vnde emeret multā pascendum carne Leo-  
nem,

(a) Iam domitum. Conſtat leviori bellua ſum-  
ptu,  
Nimirum, & capiunt plus intestina Poë-  
te,

Jam ſi aulæ in templo mutentur, ab lite-  
ratorum aditu atque uſu, ad colendos ſimio-  
rum vultus, & ſcurrarum fannas publicè  
transcripta; quid aliud fuerit niſi cælum, &  
ſydera excipiendis dividere belluis, Ely-  
ſios inferis ſepelire, metarique apud eos ſe-  
dem? dum interea ſignorum cœleſtium no-  
mine, ſcorpius, hydra, caper, mundi capitibus  
imponuntur, adeoque Achillis, & Orphei,  
& ſemideorum toti choro? Solis ornatu  
fulgeret

(a) *Iuven. Sat. 76.*

fulgere bestias, & de Plutonis vicinia fumosos  
conspici præstantes virós, ac latebras qua-  
rere?

Thronus tamen animi caput est, solus-  
que portandæ coronæ Rex, idcirco membris  
altius cæteris, ut ab succollantibus venerabun-  
dè portetur. Quid hoc ergo absurdī, & mon-  
strosi; sublime pedes ferri, caput in luto vo-  
lutiari? Crotoniatas reperiri novos, qui sto-  
lidi bovis indecorā sarcinā tumeant, dum il-  
lustris, sed egens Cleanthes, ne fame intereat,  
veluti bos sudat?

Verum hoc aggressus opusculum à felici-  
tate hominis literati, cui nihil habenti ni-  
hil desit, & se solo contentus, à Seneca par-  
vus non frustra Jupiter hominetur; et si  
sum acrius in eorum invectus duritiem, qui  
ejus inopiam subsidio merito non hono-  
rant, horum tamen vitium potius, quam ul-  
lam ejus miseriam attigi, aut aliquem in eo  
nærum, unde venire in contemptum possit.  
Nempe aurum suis effosium, & repurgatum  
venis, ut majori luce oblectaturum sit ocu-  
los, & Regum æraria ditaturum, plus ta-  
men perdit, qui effodiendo id sibi non asse-  
rit, quam aurum latendo, & nativæ jura li-  
bertatis, intra latebras retinendo. Ad hæc  
probari melius non possunt literatorum egre-

10 *Character Hominis Literati,*  
gia merita, quām mecōenatum in illos avaro-  
rum tenacitate parca, & sordida.

Jam occurrit videndum quī possit apud se  
literatus vivo illo carere Deorum nectare, sa-  
porum omnium sic abunde complexo deli-  
cias, nihil ut restet fruendum alibi vel quæ-  
rendum. Sed hoc, per singulas excurrendo  
scientias, et si forte non fastidiosum, certè ni-  
mis prolixum, placet uno solum in genere ex-  
periundi causa proponere, non illo quidem  
præcipuo, nec summè recondito, sed com-  
muni cunctisque vulgato ;' cœlo, inquam,  
eiusque contemplatione, quod quidem cœ-  
lum oculo judice, naturæ pars est maxima at-  
que pulcherrima; animo judice, partium præ-  
stantissimarum non infima.

.....: .....

*Contemplatio cœlestium corporum bre-  
vis, ad specimen mirabilium volupta-  
tum quas alia scientia.*

**C**ommune fuit Pythagoræ, & Platonis  
dogma, consertas inter se musicis spatiis  
moles cœlestium corporum, sua vertigine  
concentum edere, modis omnibus nume-  
risque

risque perfectum. (a) Quod Macrobius affirmat ex naturalibus sonorum principiis: [Ex his, inquit, inexpugnabili ratione collectum est musicos sonos de sphaerarum caelestium conversione procedere. Quia ergo sonum fieri ex motu necesse est, ergo ratio qua divinitus inest, sit sono causa modulaminis.] Nec propterea fides huic musicæ vel minor præbenda, vel prorsus neganda, quod non possint de illa nostræ aures ferre judicium. Sunt enim ejus tam tenues & delicati sonorum modi, ut eos elementorum assiduus obtundat, & extinguat pullus.

*Mutum non est ut creditur cælum;  
Surdi sumus ipsi, quibus aures obturatae  
Terrarum insolens strepitus.*

*Frustra inter pulsus tam dissonos  
Lyra captatur cœlestis harmonia  
Quam tangit sua manu Dei Deus.*

Nisi forte Philoni ex vero visum sit, ad ejus concentus delicias Deum provide nobis audiendi vim omnem elisisse, in commodiora tempora reddendam; ne suavitate illa attoniti, & extra nos positi, nihil adverteremus non dico agitorum, & negotiorum,

A 6

sed

(a) *Lib. 2. de somn. Scip. c. 1.*

12. *Character hominis literati,*  
*Sed ne ad nostri quidem conservationem spe-*  
*ctantium.*

Verum enim verò musices illius percipiendæ symphoniaz, nihil quicquam opus est, ut globorum illorum (sic eos nomino, ne pugnem cum iis, qui esse unum volunt molis unius liquentem globum) ad nos soni pertingant. Beare mentem possunt, si volatu masculo ad eos eritatur, haud quidem mendaci Phaëtonis exemplo, qui

(a) *Ausus eternos agitare currus,*  
*Immemor meta juventis paterna,*  
*Quos polo sparsit furiosus ignes,*  
*Igne recepit;*

Non item Vulcani periculo, cui saltu in terram prospero illo quidem nihil gravius accidit, præter luxatam pedis commissuram. Hæc cæli pars lubrica monumentum est Phlegræ fulminantis, & vetus Gigantum in Deos arietatio. Illic Hercules cum Bellero-phonte; Prometheus & qui non? Sed pars illa principum doctrinarum, interioris cæli verax & fidelis interpres, profectò beabit animalium, cui sic detersos acuerit oculos, ut certat, quanta velocitas moles agat immensus; influxu quam vario & discordi, in unam con-

(a) Senec.

conjurant naturæ servandæ concordiam; quām pigris aliæ, quām rapidis aliæ motibus, cursu tamen uno in exitus pergent constantes, & ratos; quām scrupulosa observatione, flexuum principem sequantur orbem primum; quā nihilominus motus proprii libertate? unde iis tantus in profundo immenso nitor, & perspicuitas; in ejusdem formæ consensione varietas; majestas in dulci amabilitate; in rapiditate lex ita inviolabilis; in actuosis conversionibus quies tanta; in metiendis temporibus, dierum vicibus, mutationibus tempestatum, tam certa, & una, & ineluctabilis norma & ratio? Hæc tam longo prospectu assequi qui potest, & his sibi ascensum ad mirabilia spectacula munire, imò hacce adminiculante cælestis naturæ pretiosissimâ catenâ (cujus supremum annulum Jupiter suo throno æternum affixit,) hanc inquam omnino, qui valet admiri ad formas archetypas viam, & illas, quas vocant ideas primæ mentis, quæ pondus, numerum, & mensuram dictavit condendi operis, quod naturæ totius ordine continetur: qui sapientiam perspicit auctoris, à quo tot rerum vicissitudines providentiae stabilis cursu immobili dispensantur, ut occulta ejus certaque consilia, in disjectos erumpant innumerabilem rerum casus, destinatis

14. *Character Hominis literati,*  
nihilominus finibus node insuperabili ad-  
strictos; sic ut fortuita quæ putantur, de-  
creta sint, opusque providentia sempiternæ:  
tantis, inquam, pares spectaculis oculos qui  
habet, an non hoc solo beatior quām reli-  
quum vulgus mortalium, omnibus sensuum  
voluptatibus demersum? Dicat expertus il-  
le de Platonis schola Philo (a) Alexandrinus  
[ *vagata (mens) circa stellarum tum fixa-  
rum, tum erraticarum cursus, trahitur amore  
sapientia se deducens, atque ita emergens su-  
pra omnem sensibilem essentiam, demum intel-  
ligibilis desiderio corripitur. Illic conspicat ex-  
emplaria, ideasque rerum quas vidit sensibili-  
um, ad eximias illas pulchritudines, ebrietate  
quadam sobriâ capta, tanquam Corybantes  
lymphatur, alio plena amore longe meliori, quo  
ad summum fastigium adducta rerum intelli-  
gibilium, ad ipsum magnum Regem tendere vi-  
detur.* ] Hæc dici magnificè potius quam  
verè, quippe nunquam expertus, qui putat,  
aptius à me responsum non ferat, quām quo  
Nicostratus picturæ veneres rudibus oculis,  
& incredulis spērñenti satisfecit.

Zeuxis ille pictorum Phœnix, & picturæ  
lumen, umbraque æmulorum, Helenam  
pinxit tam docta & felici manu, ut veram  
Hele-

(a) *In Cosmopæa.*

Helenam pictæ gratia vinceret, & quæ Paridem vivens ad sui raptum Trojâ exciverat; Græciæ totius picta raperet admirationem. Cujusmodi esset animo fingite. Formæ præstantiam libenter ignoro; pingi Helenam posse elegantiùs non puto, quam rapto de Troja ardenti titione, nec illuminari splendidiùs quam flammis cineratæ urbis atque imperii; nec denique adumbrari nisi perpetuo, & infami probro. In hanc Nicostratus picturam cum forte incidisset, pingendi & ipse non ignarus, in Medusam visus non in Helenam incidisse, instar saxi mox ita obstupuit, ut vivam Helenam referret tabula, Nicostratum mortuum suus stupor. Hic bardus nescio quis, nec minus ingenio quam oculo rudis, excitatum rogat, quid tantum in illa stuperet Helena: nimis multa quærebac verbo uno; utque oculis Helenam nisi stolidis non videbat, ita nec dociles habebat ad resonsum Nicostrati aures; hic ergo, ista, inquit, non est vespertilionibus depicta tabula; istos tibi oculos erue, meos à me mutuos acceperes, si nunc talpa es, optabis illico Argus esse. Non interrogares me si meos oculos habereres.

Coutingit hoc plenè suspiciens cœlum, cui tanquam pulcherrimo vultui, lineamenta sui, quorum erat capax impressit Deus, ut extra se, nec sui sat compos hærebat admirans,

rans, potuisse unquam tantarum segetem voluptatum existere, quæ ingenium absorberet, beatitate mentem incomprehensa syderaret. Atqui haud paulò plures cælum vident, quam qui cernant atque intelligant: qui verò intelligunt, perinde inter se differunt, ut qui Arabicæ linguae ignari, scripturæ in characteribus toti sunt, auro, & minio formosis; dum eorum alii texturam perlegunt, & significatum percipiunt, unamque videndi oblationem præ intelligendi jucunditate vilem habent.

Sed esto sit intelligentiæ tanquam melilis sapor, nullo unquam sermone ita creditibilis, ut stillæ unius experientia, & gustu. Placet tamen hic morum prudentem magistrum audire Senecam, explicandis gaudiis diffluentem, quibus ex cæli contemplatione animus saginatur, cum aspernatores infirmorum, & majores humano spiritus illic conceperit. (a) Affurge sis, anime, cogitationibus quantum vales, dum volvi sub pedibus Saturnum, & Jovem, & Martem prospicias, ignésque cæteros suo quemque errori constanter insistere. Inde moles corporum mirare, nulla circumscribendas vastitate; velocitate nulla sat æquandas; stellarum multitudo distinctas supra omnem opinionem, & numerum

(a) *Natur. quest.*

merum investigabili ; quas soles totidem censes , cum tibi haec tenus scintillæ viderentur. Post ubi exhauseris oculos , vastarum molium portentoso complexu frustra describen- do; mundi hujus in theatrum regredere, & terram in eo require, quæ spectanti de stellis tantula fuerit , ut ne cernatur quidem , nisi tibi cælestis interpres visum acuerit , quo cum abs te putaveris deprehensam , dicas, hæc cinc illa est , quam aut videre videor , aut cerno ? hæc nempe terra est , quæ tot in provincias & regna dividitur ? tot obfitionibus, incendiis, impressionibus, bellorum, ar morum , & artium tam crudeliter lacera tur ; tam immanni naturæ totius, perpetuâ que strage ac funere , ut sistantur objectu ca daverum flumina , cæli tractus putrefacat gra veolentia pestilentia ?

Portentum humani furoris incredibile , & stupendum ! Puncto mergitur uno cupiditatum nostrarum immensitas ; imo puncti unius minimo apice ! Quid aliud egerint formicæ , si detur iis ratio ? num & ipsæ in multas provincias sortituræ sint terræ palnum ? num fixuræ iis metas , ne Jovi quidem cessuras fulminanti , num ex areola potentem monarchiam ; Nilum ex ri vulo , ex fossâ Oceanum dicturæ ? munitio nibus certè ac propugnaculis ditiones suas defen-

defensuræ ; alienas explicatis signis , & digestis agminibus invasuræ ; veteres & juris dubii vindicaturæ præliis iteratis ; pugnaturnæ ; morti ardenter ituræ obviam ; triumphaturæ ; hostium spoliis, & ditionibus potitusæ ; hoc est terræ glebâ longe palmo minori ; & hanc triginta millium formicarum bello formidabili asserturæ. Quis risum hic teneat ? nos tamen quid aliud agimus in hoc terræ puncto ? Isther Daciam claudat ; Rhenum Germania ; Thraciam Strimon ; Parthos Euphrates ; Danubius Sarmatas ; Galliam, & Hispaniam Pyrenæi. Alpes Italiam. *Formicarum iste discursus est in angusto laborantium.* Regna distinguitis & grandi molimine, Regnis fines, & metas ponitis. Stulti ! quos pauperes immoda facit cupiditas. Mundi totius quisque dominus est ; ejus sibi partem qui soli ambit, totum cuius erat Dominus partitur. Unam omnes mortales conflamus fatniliam, domum unam, quæ ipse mundus est.

Adeste atque hinc supremo ex orbe , vestrâ mihi regna designate, & quarum intumesceatis titulo, nominibusque ditiones. Indeprehenso scilicet , & individuo in puncto, puncti ejus partes minimas cernere potestis, & hæ vos adeò superbos faciunt atque impotentes. Adsit melius infra stellas non videntes

das solum, sed & possidendas, quisquis regnum optat desideriis regnandi non impar. **A**emulum sentiet neminem, vel altercaturum secum de regni finibus, quod integrè possidet; nec de regno pulsurum, quod etsi sit omnium, tamen eripitur nemini.

Sic juvat inter sydera vagantem, divitum ridere pavimenta, & totam suo cum auro terram. Quid ergo delectabilius, & majus, quam curas tam nobiles, & tam generosos spiritus induisse. Assuetus victoriis Alexander, si quando ex Gracia audiret à suis aliquid bene gestum, sive urbem captam, seu dirutam arcem, accipiebat illa ridens, tanquam facinora fortia Batracomyomachias Homericae. Proh! quantula, & quam vix apparent infima, dum prospectantur è sublimi. Quanto illorum, quae se proprius ostentabant, decrescit immensitas & majestas, dum è stellis cernuntur! Quam gaudet superba mens, augeri sibi animos omnium contemporares, quae ab aliis tam ambitiosè, velut mancipiis, adorantur? Quod docuit Seneca, occuparat pridem Anaxagoras exequi, qui spectando cælo se natum professus, relictâ patriâ tanquam viventium sepulchro, ne terræ objectu præpediretur sibi ad cælum aditus; agebat sub dio solitarius & pauper; gaudens tamen, & tumens, sereni vastissimi conopæo

sc

se tegi cæruleo , & cingi stellarum innumera-  
bili coronâ; & vesti attritæ, lucis primæ au-  
rum à sole allini ; & quicquid ubique nasce-  
retur novi, ad se cælo nuntio referti ; or-  
bis totius purpuras , & diademata , & ob-  
sequiosos aularum spernebat strepitus : ac  
suis licet à Clazomeniis pro stulto ridetur,  
(a) (*quod hic cœtus astrorum , quibus im-  
mensi corporis pulchritudo distinguitur , popu-  
lum non convocat,*) vice versa eorum ludebat  
Iudibria. Tanti verò ducebat, quod esset ho-  
minibus invisus , quanti quod cælum vide-  
ret, & propitiis à cælo , hilaribusque oculis  
videretur. *Quod sibi etiam gratulabatur Sy-  
nesius, dum scriberet, (b) Me stella etiam ipsa,  
benignè identidem respectare videntur , quem  
in vastissima regione solum cum scientiâ sui in-  
spectorem intuentur.*

*Quod egi hactenus, ut probarem ex cæli  
notitiâ , scientiis omnibus , felicitatem in-  
esse quandam , quæ sensus incantet, & infe-  
riorum omnium in iis desiderium extinguat;  
de iis rebus multò magis intelligendum est,  
quæ sui numero, vastitate, ac nobilitate pos-  
sunt uberioris literatorum ingenia, & jucun-  
diùs implere, quos ait Pythagoras apud Syne-  
sium , in theatrum inductos novarum perpe-  
tuò,*

(a) *Seneca ibidem.* (b) *Epist. 100.*

tuò, & mirabilium rerum spectatores. (a) Ita Pythagoras Samius, sapientem nihil aliud esse ait, quàm eorum quae sunt, fiuntque, spectatorem. Perinde enim in mundum, ac in sacrum quoddam certamen introductum esse, ut iis, quae ibidem fiunt, spectator interfit. Jam à voluptate contemplandi, si ad integratatem vivendi purgatissimam literæ revocentur, maxime verò graviores; deturque mihi (quod ultrò conceditur,) sapientis nomine vocare literatum, cuius longa & recta scientiarum tractatio acuerit animum, & ab iis mentem pure expiarit affectionibus terrenis, quæ bellum aliquid sapiunt, adèò ut noverit adversis deinceps & prosperis æqualem se tradere; mihi statim in promptu fuerit circumductum hujusmodi hominem per ea, quæ vulgo magis formidantur, tantò iis altius locatum exhibere, quantò suut stellarum supremæ à defectionibus luminum ob terræ longinquitatem securæ.



## SAPIEN-

(a) *Synesius de Providentia.*

—**ଶ୍ରୀମଦ୍ଭଗବତ୍:** —**ଶ୍ରୀକୃଷ୍ଣାମୁଖୀ:** —**ଶ୍ରୀନାରାୟଣୀ—**

## SAPIENTIA IN MISE- riis etiam beata.

*Sapiens in Paupertate.*

**N**omen est unum Paupertas, sed multiplex malum, in quo notas qui callet numericas, miseriarum legit iliadem. *Turpis* à Poeta *egestas* dicitur, & cum alia monstrorum colluvie ad orci fores jure statuitur : quas enim domos semel obsederit , se solâ in eas calamitatum exercitum inducit. Fame intus grassatur in viscera ; nuditate carnes dehonestat ; pudore arcet à publico ; egestate secretis extrudit & latebris ; ignominiae silentem metu , pestes mille divellunt inopiae urgentis ; metidicanti nec fides , nec subsidium præbetur : quando patitur duriora , tantò frigidius & respicitur , & habetur nihil tamen in iis gravius nobili præsertim atque ingenuo , quam quod patet contemptui , & sanuis.

*Nibit*

*Nihil babet infelix paupertas durius in  
se,*

*Quām quōd ridiculos homines facit.*

Nulla paupertatem sequitur umbra infestior; crassiori nulla arctatur compede. Denique multis levior visa mors, quām foris neglectos aspici, velut arbores inhonoras, & suis frondibus exutas.

Quis tamen credat cruciabilem hanc & s̄ævam carnificem, quæ possit quarta furiis tribus addi, si cum literis, & sapientiâ copuletur, velut diatesaron absonum diapenti mixtum, in concentum exire longè gratissimum, & mulcentem aures suavitate singulari.

Paupertatem cum sapientiâ, par esse divinum, Stoicus afferit, quōd cūm habeat nihil, omnibus affluit; potest quin imò ea per se largiri, quibus qui caruerit, omnium egredit; sapientiam scilicet largiri potest, complexu divite omnia possidentem. An non hæc Deorum conditio mera est? (a) *Respice enim mundum, nudos videbis Deos omnia dantes, nihil habentes.* Quid ultra potest universo ex omni expetere, qui philosophando prudentius, quām hæreditatibus captan-

(a) *Seneca de tranquill. cap. 8.*

captandis inhando, universum juris sui fecit, & patrimonii. Quæ uno casus arbitrio, & fortunæ indulgentiâ possidemus; aliena magis sunt quam nostra, & commodata quam propria; nec possunt verius beatos facere, quam facta vultus humani species, verum ex statuâ hominem facit. Mundum scire, inquit Manilius, possidere est, sic ut roganti nos Demetrio cuilibet, *quid captâ patriâ superfuerit nobis?* liquidò suppetat illud ejusdem Megarensis: *Nullum vidi, qui res meas auferret.* Paucis egent peregrè agentes, prægravantur multis, & impediuntur. Homini suarum ædium numquam parietibus concluso, velut centro suum intra circulum; sed cogitationibus explicatis vaganti, quod illum sciendi cupido vehementer incitat; peregrinari ab suo lare atque adeo à seipso amanti, dedecori non est viatico defici, quod foret peregrinanti pondus. Ex quo manavit illud Senecæ effatum: (a) *Si vis vacare animo, aut pauperis oportet, aut pauperis similis.* Sed hic prodeat Platonicus eloquens, cui vel joco vel serio cùm objiceretur sua publicè tanquam vilis aut rea inopia, exprobranti respondit, si tam esses philosophus, quam dives, intelligeres esse

ts

(a) *Aphel. in apol. profe.*

te pauperem, me verò divitem. *Namque is plurimum habet, qui minimum desiderat. Ha- bet enim quantum vult minimum; & idcirco divitia non minus in fundo, & in fænore, quam in ipso hominis estimantur animo.* Vitæ hujus in mari tempestates & fluctus nudo portum non invident, sed ei, qui madenti vestium gravi- que sarcinâ implexus est. Hæc tibi emersum ex luto homulum attrita, quâ vestior, tunica repræsentat; baculus, quo nitor, impolitus etiam vilorem. *Dic sodes, quid amplius ille habuerit, Jovis filius Hercules, Semideus, & mundi victor. Ipse Hercules illustrator orbis, purgator ferarum, gentium domitor;* is in- quam, Deus cùm terras perageret, paulò prius quam in celum, ob virtutes ascitus est; neque una pelle vestior fuit, neque uno baculo comi- tator.

*Quin & ipsi Deorum primi, suis in ditio- nibus quid habent, quo locupletes sint? Venas unde aurum & argentum ducant? ad pisca- tionem gemmarum oceanum? purpuris ex- primendis conchilia? cogendis tributis po- pulos? an è contrario spretis his omnibus, & scipisis pleni, se solis beati, videntur pauperes, quod nihil habeant; ditissimi sunt, quod nul- lo indigeant?* (a) *Igitur ex nobis, cui quam mi- nimis opus sit, is erit Deo similior.*

B

Obeat

(a) *Laërt. in Socr.*

26 *Character hominis literati,*

Obeat itaque portus omnes , & emporia omnia Socrates pauper, verum literatus; & particulatim lustratis per otium bonorum a cervis, quos avaritia & superbìa ostentat , exclamet lætus ; & multum gaudenti succinant, non dissimiles mente ac moribus reliqui. *Quàm multis ipse non egeo.*

Luget Alexander , negante Anaxagorā naturam, quamvis agendi & volendi metas habeat nullas , plures uno mundos vel voluisse in lucem edere , quod avara fuerit ; vel potuisse, quod sterilis. Adeo, ut nec immensitatis vacua spatia, infinito mundorum, quorum ideas gerit, implerit numero ; nec creatum æquarit possibili ; nec omnium , quæ mente complectitur, externam fabricam explicuerit. Horum tot mundorum, imò etiam unius non adhuc potens & dominus Alexander cruciatur & rugit(a)immanium ferarum modo, que plusquam exigit fames , mordent. Imperat tamen Græciæ, Indiis, Persidi, in unum enim regnum multa regna conjecit. Post hæc tantum suam flet paupertatem, quantum est quo caret; caret autem omni, quod impotenter desiderat.

*Quid enim interest, quot eripuerit regna, quot dederit ? quantum terrarum tributo premat ? tantum illi deest, quantum cupis. Eget itaque Alexan-*

(a) Senec. q. 24.

Alexander, orbis possessor dimidii; quâ enim potitur, pars illa dimidia, præ illis quos ambit mundis innumeris, nihil est. Crates vicissim homo literatus, solo se locuples, & trito pallio, quo quidem utitur magis, ne appareat nudus, quâm ut videatur philosophus; Jovem in terris vivit. Divitiis omnibus, quas nullas possidet, opulentior Alexandro omnia possidenti. (a) Flet Alexander propter infinitos mundos, ab Anaxagorâ auditos; cùm Crates pera & palliolo instructus, vitam tanquam servitatem quandam per jocum & risum age-ret, vellem stylo posse Diogenem asequi, nempe illum visentis potius Alexandri admiratione, quâm obsequio celebrem, qui orbis Dominum ad se adeuntem nihil motus excipiens, (b) supra eum eminere visus est, infra quem omnia jacebant.

Dabit hujus mihi tesserarium symbolum Claudianus, sed manu Apellis coloribusque expressius.

Lapis est cognomine magnes,  
Discolor, obscurus, vilis, non ille re-pexam  
Casariem Regum; non candida virginis  
ornat

B 2 Colla,

(a) Plutar. de tranquill. animi. (b) Senec. l.s.  
de Ben.c. 43.

*Colla , nec insigni splendet per cingula  
morsus;*

*Sed nova si nigri videoas miracula sa-  
xi;*

*Tunc superat vivos cultus , & quicquid  
Eois*

*Indus littoribus , rubrâ scrutatur arenâ.*

Ecquid illum hispidus barbæ glomus, & incultum caput, & deformis aspectus, & vestes; ad hæc inturbanus & agrestis affatus, cum summâ pauperie; saxo illi nudo, glabro, nigranti, impolito, parum graphicè assimilant. Domus illi fuit versatile dolium : hoc latifundio putabat se laxè habitare. Quocumque esset libitum, versabat illud, & cæli converiones interea fortunæque ridebat, quod nec insuum dolium jus haberent ullum ; nec sibi cælum boni quicquam dare nolenti posset, nec fortuna auferre nihil habenti. At huic tam malè habito, & despicibili homulo, unde vis ut ita dicam magnetica tam potens, ut ad se obscurum, & mendicum, sydus orbis clarissimum, & opulentissimum traheret orbis monarcham, & arbitrum? Fuit hæc nimis philosophiæ gratia, quæ per Diogenem velut solem nube tristi velatum, aut vestitam Satyro Venerem, tantum foras mittebat radiorum, ut Regem tanqum in sui raperet admiratio-

mirationem, & mendicabuli venerabundum obsequium.

At mendicabat Diogenes? Pendantur aequaliter castigato examine lancibus utriusque opes. Nihil eorum, quae obtulit Macedo, Diogenes admisit, quod nullo eorum egere se diceret: Alexander cui deest, quicquid habet; ne quicquam sibi quod cuperet, deesset, optat Diogenes fieri. Ergo, subdit meritò Seneca, (a) multò poterior, multò locupletior fuit Diogenes, omnia tunc possidente *Alexandro*. *Plus enim erat, quod hic nolle accipere, quam quod hic posset dare.*

Eam ob rem junctæ cum paupertate tranquillâ literæ, illam efficiunt primi ævi beatam temperiem, cum suo quisque viveret contentus, procul metu jacturæ nullius, & tantum dives, quantum nullius egens, nec appetens. Hinc Palæmonem, & Cratetem, amicos ambos, & Philosophos, & mendicos Arcesilaus honoris gratiâ, ætatis aureæ vocabat reliquias, interque alienas opes, & privatam suam pauperiem, agebant (quod de familiari suo Seneca,) non tanquam contemptissent omnia, sed tanquam alius habenda permisissent.

Non usque adeò divites excæcat auri splendor,

Prodeat, sultis pauper literatus, inter hol-  
serica folidus, inter purpuras obsoletus, in-  
ter plenos & floridos vultus, pallens & ema-  
ciatus studendi assiduitate. Illi se perinde cir-  
cumspiciunt, ut lanis aureis superbas pecu-  
des; literatos, ut veterum Deos faxis licet in-  
sculptos rudibus, & lutea ex creta factos, ve-  
nerantur tamen apud se, quasi auro fusos, &  
conchiliatos.

Altera illa Argo, cui nomen victoriae indi-  
dit gloria orbis circumlustrati prosperitas,  
post emensum Ducis sui Magellani fretum  
in Europam redux, pro mundi miraculo su-  
spiciebatur, ejus latera pavendis toties oceani  
tempestatis invicta; vel fideli contra om-  
nem ventorum rabiem obsequio defuncta;  
temo, & malus, & antennae, ac membra sin-  
gula, digna stellis adseribi censebantur, quod  
triumphatis elementis, non vellus aureum,  
sed montes aureos secum retulisset. Hanc  
naves cæteræ non sine invidia spectabant, ad-  
orabantque ut dominam; & acceptas ejus per  
tot fulcata maria cicatrices reverebantur, præ  
valido suo & fulgente picturis instructu, quo  
paecto solent ducum ex bello fortia vulnera,  
populorum admiratione celebrari. Vacuam,  
quassam, solutam Victoriam remigio, & or-  
namen-

namentis nudam ancillari assiduitate obser-  
vabant. Sic planè inopem literatum magni  
faciunt divites signari, eisque sàpè nec adver-  
tentés eas invidēt internas animi opes, qui-  
bus illam plenè cumulatéque instructam, sc̄  
planè vacuos sentiunt. (a) *Vllane autem tam*  
*ingentium opum, tam magna potentie voluptas,*  
*quàm spectare homines veteres & senes, &*  
*totius orbis gratia subnixos, in summa rerum a-*  
*bundantia confitentes id quod optimum sit, se*  
*non habere. Enim verò in malè paratum à for-*  
*tunæ bonis literatum, cæterum ab animi dívi-*  
*tiis paratissimum, egregiè quadrant hi Lucani*  
*versus:*

*Qualis frugifero quercus sublimis in agro*  
*Exuvias veteres populi, sacrataque gestans,*  
*Dona Ducum, nec jam validis radicibus ha-*  
*rens,*  
*Pondere fixa suo est, nudoisque per aera ra-*  
*mos*  
*Effundens trunko non frondibus efficit um-*  
*bram,*  
*Sed quamvis primo nutet casura sub Euro,*  
*Tot circum sylva firmo se robore tollant;*  
*Sola tamen colitur.*

Ἄνθες οὐδὲ πάρα θεοί: οὐδὲ τέλος: οὐδὲ διάτησις: οὐδὲ

## SAPIENS EXUL.

**C**onstat præcepto veterum sapientum, quibus adhuc superstitionibus Græcia; mundus post mortem auditorum fuit, philosophari recte volentibus, & sine errore, diu esse multumque errandum; & multarum ad ipsa regionum Sapientiae thesauros ab eis posse fessoribus corrogandos. Natam in celo veritatem, esse aiebant in terris peregrinam: Solos eam peregrinantes invenire, qui fluminum instar cundo crescunt, & exilibus extivis tanquam non crescunt in maria. Certè nunquam vapores stellarum formam inducent, nisi patriâ relicta, ubi lutum erant, continentur post Solem assurgere, felicius in celo peregrini, quam in terra cives. Non est hominum indeoles tanquam stellarum errantium, quarum nusquam vis major, quam in domus propriæ statione. Novercam interdum Patriam experimentum; humum exterram matrem; haud secus ut nativo in solo succis imbutæ venenatis plantæ; in alieno, patriæ vitium emendant, & salubrem ex ea saporem, virtutemque exugunt. Habeat sapient-

**S**apientes in patriâ , ut in horizonte stellæ, nascentibus , locum , nequaquam loculum morituris. Inde primæ ducant sapientiæ auroram, quæ ascensu crescat , donec medios ignes cum sole accenderit.

Ad hoc viri præstantes de cælestium ingenio exemplum sumebant , quæ motum pro quiete habent : longinquis excursionibus ad questum uberioris sapientiæ festinabant, quo cumque illos novæ Academiæ exciret fama. Erat vita illorum, (ut Synesius loquitur,) doctrinæ acris , perpetuaque venatio in Græciam, Ægyptum, Persidem, Indias, & undecimque gentium ad prædam auctiorem, spes erudita invitasset. Sic Pythagoras, Socrates, Plato, Democritus, Diogenes, Anaxagoras, sexcenti alii, pretiosissimas scientiarum gazas ut sibi compararent , tractus orbe toto semotos , nullo tamen eorum dispendio expilarunt ; similes fontibus , qui lapsu felici per subterranea, in auri & argenti, smaragdi & sapphiri venas inducti, quidquid iis venis inest salutare ac pretiosum, exugunt , ac novis opibus aucti, & multo quam antea ditiore, ulterius feruntur.

En ergo, ut sapor literarum , & sciendi ardor longinquitatem à patria quamlibet, non tolerabilem modò efficiat , sed jucundam. Flagrantem cupiditate hac Philosophiæ quærendæ

34 *Character hominis literati,*  
rendæ nullum terribit exilium; nihil in eo  
præter nomen dolebit.

Ignaris fateor aliorum bonorum, præter-  
quam eorum, quos vulgus beneficio fortunæ  
imputat; patriâ expelli malum est haud ab-  
simile sorti nidorum implumium, quos cunis  
ejectos casu elidi necesse est, ac perire. At  
verò alas qui habet nubium tractibus, & ven-  
tis non impares, nidum ex stipulis quo jace-  
bat sepultus, mutat cæli aperti dominatus;  
quem sua ipsi, volandi quâ volet, libertas ali-  
nit.

Quis te, inquit pastori Tityro pastor al-  
ter, quis te patriâ pepulit, misitque externas in-  
oras advenam?

*Et qua tanta fuit Romam tibi causa vi-  
dendi?*

Tædium serviendi, respondet Tityrus, ni-  
do me patrii laris extrusit; in externa regit de-  
siderium libertatis:

*Libertas, que sera, tamen respxit iner-  
tem,*

*Candidior postquam rondoni barba cadebas.*

(a) Ille (subdit Petrarcha) ut libertatem in-  
veni-

(a) L.2. ep. 4.

*veniret, patriam se reliquisse gloriatur; tu Philosophus defles?* Sine lugeat Maurus, suam in Africam, ex Hispania rejectus, dignam monstris talibus patriam. In hanc enim haud reddit velut solum mutans, sed de cælo præceps. Respectat madentibus oculis Granatam, & jurat omnino illi Regno Paradisum desuper imminere. Sybaritarum hic sensus est, qui patriam veluti stabulum amant, ut qui vitam vivant quadrupedum; aut Atheniensis illius stolidi, qui Lunam Athenis quam Corinthi, ajebat esse pleniorum; cum tamen non plenior Athenis Luna, sed minus plenum, aut etiam omnino vacuum esset stolidissimi hujus capitis cerebrum. (a) *Et hoc idem (ad dit Plutarchus,) accidit nobis, cum extra patriam constituti, mare, aërem, celum, dubiū consideramus, quas si aliquid iis deficit eorum, quibus in patria fruebamur.*

Pereat Stilponi patria, inter omnia lacrymas ridebit siccus, solusque inde ac nudus exiens, sua omnia secum feret, seipsum videlicet, sapientem, inquam, & literatum; quem affirmabat Antisthenes, (b) *etiam si omnia deessent, solum sibi sufficere.*

Fugent Clazomenii Anaxagoram civem suum, excedet patria tam lætus, ut si ē carcere? Terræ palmo, amplitudini mentis suæ angusto excludi gestiet, ut fiat cæli

(a) *De exilio.* (b) *Laert. in Antisth.* civis,

civis, & stellarum cognatus. Quocumque perrexerit, sub eodem quo prius incedet te-  
cto, nec se domum putabit amisisse, sed con-  
clave mutasse. (a) Quid enim refert, quām di-  
versā parte consistat. Valles quidem, & lacus  
& flumina, & colles alios videt: celum unum  
est. Illuc animum erigit, eò cogitationes suas ex  
omni mundi parte transmittit, nec aliud quām  
sub tecti unius amplexu, ex alio in alium thala-  
mum transiisse cogitat. Ridebunt Antisthe-  
nem Athenæ, quod lare careat, ridebit ipse  
homines, & cochleas esse dicet, que nunquam  
sine domibus sunt: Ac sub Dio ager Semideo-  
rum more in campis Elysiis habitantium,  
quorum nemini domus certa. Gratias ager  
Diogenes indicenti sibi exilium Sinopen-  
sium suorum nomine; iis planè haud impares,  
quas egit Herculi Theseus, ab Saxo revulsus  
pertinacis pœnæ insculpto Epigraphe:

*Sedet, aeternūmque sedebit.*

Et ab illo exemptus otio, quod totis in-  
feris erat illi molestius futurum. Exprobra-  
bunt illi exilium cives maledici: Extrusere me  
(inquiet) patriâ cives mei; ego in eam illos  
damno. Vivant mundi totius exules Synope  
conclusi; Ego extorris Synope, mundi civis.

Procul

(a) Petrarca.

Procul Synopem contemplor tanquam  
mare, cuius improvisis fluctibus ejectus in  
Scopulum, aliorum ex tuto specie naufragia;  
& meo felix periculo, nec jam mare requiro  
à quo ejjectus sum, nec navigantium fortunas  
in video; sed casibus timeo.

Vin'tu ad vivum expressam à Senecâ pi-  
ctore doctissimo, vel duntaxat designatam,  
urbanarum occupationum imaginem? En ti-  
bi conferta hominum multitudo, semper mul-  
tum sudans, nihil agens; minus otiosa cùm  
dormit, quam cùm laborat. (a) *Horum si ali-  
quem ex euntem domo interrogaveris, quo tu?  
Quid cogitas? Respondebit tibi, non me Hercule!*  
*Scio: si aliquos video, aliquid agam. Sine pro-  
posito vagantur, quarentes negotia; Nec quæ  
destinaverunt, agunt, sed in qua incurrerunt.*

Observasti quandoque populum formica-  
rum, quæ ferventi agmine una post aliam in  
truncum arboris adrepunt, cumque ad sum-  
mum evaserint, velut tacto cælo, stellisque  
salutatis: parte alterâ descendunt, & suo se-  
cavo restituunt; *His plerumque similem vi-  
tam agunt, quorum non immerito quis inqui-  
tam inertiam dixerit.* Hi deinde domum cum  
supervacua redeentes, lassitudine jurant, ne-  
cisse se ipsis quare exierint, ubi fuerint; postero

C

die

(a) *De Tranquill. animi c. 12.*

*die erraturi per eadem illa vestigia.* Et dolebit se procul ab his locis exulare, quem sapientiae oculus, æstimatorem veri fecerit non falsum? Ac non potius idem quereret, quod Stratonicus in Seripho ex hospite, a quo cum audisset exili pœnam fraudulentis omnibus infligi; ut quid igitur (retulit) operam fraudibus non datis universi, ut hinc vos item perllamini?

Jam ille de patria exitus si cunctis bonis nos spoliet; esto? Si quidem (ut censet Plutarchus) jactura Philosopho non major quam serpenti, vetustam sibi pellem inter Saxorum angusta deradenti, ut in juventutem expeditior resflorescat. Literato est certe quidem haec jactura, quam alteri cuius tolerabilius, ut cui nusquam desit & victus & patria; sitque navibus similis, quæ gemmis ab India, & auro farræ, portus beant quoscumque subierint.

Romanus Hercules Scipio, non monstri unius, sed totius domitor Africæ, monstrorum parentis, devicto Asdrubale, Haunone occiso, capto Siphace, post Carthaginem dirutam, subactam Lybiam, coronatamque tot insignibus trophyis sui nominis famam, unidenique sibi par, & Imperii sol, ægros invidiæ oculos pupugit, excivitq; ex iis lacrymas; & quanto craf illuſtrior, tanto cœptus

sceptus iniquius a spici. Dolebant æmuli gloriis auctum immodicis, & Carthaginis eversæ ruinis attollit superbius. Officiebat eorum luminibus tautum decus, & obscurari se illius splendore existimabant ; cumque fulmineis linguarum telis, nulla satis obsistat laurus, nulla nos tutò subducant merita ; triumphi honoribus magnifice perfunctus, & decretò sibi victâ ex Africâ sublimi cognomento, monstra Romæ invenit Africanis pejora, accusatores maledicos, qui Porcio Catone auspice, contendebant reum indigno iudicio probare. At enim cuius noxæ ? Solum nimirum, quam illi dolebat, sibi optabat invidia. Non tulit animus viri tanti, aut defensum inimicis, aut mœrorem præbere : iniquis eorum oculis se subduxit, & voluntarius exul, Carthagine crudeliorem sibi Romanam sensit ; ex qua nimirum urbe exilium referebat, cum retulisset paulò ante ex destrutta Carthagine triumphum.-

In interi ergò captavit angustum immensis tempestati portum. Imperatorem mutavit agricolâ, & quâ manu recoctas Africæ arcuas severat victoriarum suarum palmis cädent colendo instabat prædolo ; & vice prorsus insolenti, erat illi sarcuum pro ene, pro ariete armato stiva, pro equis boves. Ex operibus castrorum discebat rusticos

aggrētes struere; ex fossis, ductus rigando hortulo; ex arte explicandorum ordinum plantas & arbores digerebat; de usu profligandi hostis, spinis & lapidibus agellum liberabat. Prælia denique in rutis laborem verterat, & victorias in frugum messem. Sepem nihilominus tam densis adstringere, ac firmare spinetis nequivit, quin se intrè Romæ fastidia penetrarent; nec ita schemate rusticano se deformaverat, quin civiles eum agnoscerent & torquerent curæ. Susceptum ingratâ ex urbe ultrò exilium ne infligeretur etiam invito, indignatione ipsam illam tam vivaci ejus pectus accedit, ut fato quoque suo voluerit esse superstitem, & insuis etiam extrâ patriam sepultis ossibus ardere. Habet hic discrimen excelsæ mentis, & magni pectoris non parvum. Vir sapiens, nec minus ingenio potens, quam manu Scipio, amissâ vel relictâ Româ dixisset cum Socrate Athenis exule, ( a ) *Mibi omnis terra eadem mater, omne cœlum idem tectum, totus mundus est patria.* Cogitasset ex urbe Romuli se exire, Jovis urbem quod ajebat Musonius intrare, non revinctam murorum circulo, sed' cœlo; linguis omnium tritam nationum, quas pro suis agnoscit vernaculis;

Dco-

( a ) *Apud Stob. de exilio.*

Deorum denique suorum senatu ac populo  
mobilem. Roma exsulet ut rivuli tenues an-  
gustioribus ex ripis, per quas lapsu erratico vix  
se trahunt, mari se vasto miscent, in quo non  
pereunt (ut vulgus fabulatur) sed exile quod  
humum lambebant, aquæ filum sic cum eo  
confundunt, ut cum eo diffusi, mundi utrius-  
que littora verberent. Verum opus est celsâ  
mente, quæ probro ducat servilem animum,  
patriæ angusto bipalmari, habere tenacius af-  
fixum, quam libertati grandium contempla-  
tionum, quibus orbè infra se videt universum.

Qui ejusmodi est animo, quod longius à pa-  
tria distat, eò evadit illustrior; Lunæ instar,  
cujus lumen tanto crescit indies gloriosius,  
quantò à Sole, unde habet ut splendeat, lon-  
gius in alias cœli regiones excurrit. Quin et-  
iam ex usu domestico magnorum hominum,  
an quos peregrinando incidit, se indies ma-  
gis ac magis proficere sentiens, seque ipse ad-  
mirans, cum Alcibiade apud Regem exten-  
num tres urbes nacto, suo paratas receptui;  
exclamat lætus, *Perieramus nisi perisse-  
mus.*

Proh! quantum debet exiliis sapientia  
vel spontaneis vel coactis? Per hæc Pallas  
haud paulò majoribus crevit divitiis, quam  
cum ipsa Argonautarum olim dux ad vellus  
aureum navigavit. Priusquam in lucem

42 *Character Hominis Eterni,*  
navigandi ars prodiret; ignota latebat mun-  
di pars altera, jacebat altera inculta, utramque  
barbaries obtinebat.

(a) *Sua quisque piger litera norat,  
Patrioque senex factus in arvo,  
Parvo dives, nisi quas tulerat  
Natale solum, non norat opes.*

Quid mundus bonorum clauderet, igno-  
rabat mundus; suspicabatur aut indagabat  
nemo. Nullus mare sulcabat otiosum & so-  
litarium; nullum venti præbebant usum; vix  
erat qui cœlum interdum suspiceret, neduna  
qui aliquid ex eo commodi captaret.

*Nondum quisquam sidera norat,  
Scellisque quibus pingitur asther  
Non erat usus.*

Nunc totus in Regnum mundus coauit,  
cū mundos totidem, tot ante Regna effi-  
cerent. Nulla sui avara regio, nulla est alieni  
egens: quoabundat, illud permutat peregrini-  
nis. Unum conflat terra corpus beneficum,  
cujus pars dives, succurrit inopi. Unum est  
hodie quasi domus unius cœli tectum; no-  
runt

(a) *Seneca*

tunt omnes invicem mortales, possuntque  
verius Manilio canere :

(a) *Iam nusquam natura latet; peruidimus  
omnem,*

*Et capto potimur mundo; nostramque pa-  
rentem*

*Pars sua conspicimus.*

Quam laudem consequuti essent Græci,  
Chaldæi, Gymnosophistæ, nisi fortunatos  
Ulyssis errores secuti, sapientiam, quâ care-  
bant, extra patriam quæsisserent? quantò me-  
liore est videns quam cœcus oculus; tantò ille  
præstantior, quem sive exulem, sive peregrini-  
num vivendi scientia, & sapientiæ quæritus  
exstimulat in longinqua terrarum, & homi-  
num, tanto ( inquam ) ille præstantior haben-  
dus quam truncus, ubi primum erupit in ger-  
men, illic hærend, illic missis radicibus  
vivens, ac putrescens.

•8:(†):80•

C 4

8A:

(a) *Astron. lib. 4.*

ପ୍ରମାଣ ପ୍ରଦେଶ ପ୍ରଦେଶ ପ୍ରଦେଶ

*SAPIENS IN  
Carcere.*

**H**abent, scribebat antiquus sapiens Philosoporum animæ pro domibus corpora; ignorantium verò pro carcere. Eæ siquidem, tametsi ad somnum & quietem suis se corporibus contineant, suo tamen ex iis evolant arbitratu, quocumque commodum, & quoties libitum fuerit. Istæ corporum muris arcte clausæ, membrorum revinctæ catenis, unis pupillarum duabus foriculis malignam lucem excipiunt, nec ullius cogitationis generositate à rationibus corporis sublevantur. Hinc premit indectos carcer duplex, dum uni addicuntur; literatos haud quaquam. Claudi pars illorum melior haud magis potest, quam venti retibus; aut crystallo lumen. Romæ Tullianum, Crypta Syracusis, Lethe Persis, Ceramon Cypris, & quotquot ubique sunt teorum ergastula, animam verè philosopham non valent tam profundè haurire, ut eam sepeliant; tandiu luce privare ut excæcent; tam angustè habere ut stringant; tam firmis, & sollicitis foribus observare, ut claudant.

Aus

**A**lis quas animæ tribuebat Plato, Sapientia illam non modò è carcere, sed vel extra mundum, si libuerit volatu feret. ( a ) Nam cogitatio ejus circa omne cœlum, & omne praterius, futurumque tempus immittitur. Corpusculum hoc custodia ac vinculum animi, huc atque illuc jactatur: in hoc supplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipse sacer, & aeternus est, & cui non possit injici manus.

Non est igitur carcer, animo sapienti carcer; domus est ex qua liberum ipsi est, quoties placuerit prodire. ( b ) Totum autem se animus circumfert, inquit Tertullianus ad Martyres, & quo velit transfert.

Ad animum quidem nihil refert ubi sedeat corpus, dum extra corpus liberis cogitationibus spatietur. Sic Hermotimi animus, permisso sibi cum vellet corpore, extra illud vagus peregrinabatur; semotos visebat longinquis regionibus populos, observans quid illic ageretur; de perpetrationibus corporis, tam nihil sentiens, ut eas etiam ignoraret, eoque flammis crudeliter ardente, ipse alibi, quod fiebat ignorans, hilaris gestiret. Xantippes luctuclamoris molestius, aptum Socrates sibi parat.

C 5

rat

(a) *Senec. consol. ad Helv. c. xi.* (b) *Ad Martyres c. 2.*

rat remedium ; in superiora domus evadet, dum illa in infimis tumultuaretur. Praestat in stellas concordare ; frui earum luce ; illarum periodis, cursibus, dimensionibus oblectari ; fierique illarum consonem mentium à quibus reguntur ; quam tenebras carceris, angustias, tædia, ærumnas, ignavè perpeti. (a) *Nihil erit sentit in nervo, cum animus in cœlo est.*

Jucundè ille apud Horatium delirabæ Græcus, qui multas quotidiè horas habebat spectaculis occupatissimæ, non quæ re ipsâ exhiberentur, sed quæ sua illi edebat stultitia,

(b) *Et se credebat miros audire tragedos.  
In vacuo latens se fôr, planusque theatro*

Nullus interea totis Argis è beator, donec ejus miserti amici, pietate incautâ miserum fecere. Dum multo helleboroe ejus caput sanant, beatitatem occidunt illam stultam quam nullâ mundi sapientiâ permutâsser. Sibi ergo nunc sanus, invidet olim deliranti, revocatum se in miseras queritur, & de spectatore tragico, argumentum spectaculi factus.

Mo

(a) *Tertul. ibid.* (b) *Horat. 2. epist. ad Florum.*

(a) *Me occidistis amici*

*Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas;  
Est demptus per vim mentis gratissimus error.*

Tantum potest stulta cogitantis imaginatio, ad saginandum animum fictâ voluptate, dum illum sibi subducit, & rei jucundæ meditationibus affigit.

Quod valet efficere stultum caput, & cerebro casuum, hoc sapientia non valebit in capite contemplationibus heroicis assueto? non poterit scilicet tam gratis spectaculorum illecebris mentem demulcere, ut loci oblita quo tenetur, credat se nunc in terræ insuno; nunc in conceptaculis aquarum fundi expertibus; cum ventis in aere; cum sole in cœlo; inter stellas, & mundi ultimos circulos, ipsumque adeò extra inane immensum divagari? Hæc sunt quæ mentes sui aspectu rapiunt & beant. Hæc vera somnia vigilum oculorum, quæ sic dormientibus eadem operâ quietem conciliant cum erudita voluptate. *Scis enim Philosophi spectaculum;* ait inter Platonicos excellens Maximus Tyrius; (b) cui maximè simile dico? *in somnio nimirūm manifesto,* & circumqua-

C 6

qna

(a) Horat. ibid. (b) Serm. 6.

*que volitanti, cuius integrō corpore manente,  
animus tamen in universam terram excurrit;  
ex terra effertur in cœlum, universum mare  
pertransit, universum pervolat aërem, terram  
ambit cum sole, cum luna circumfertur cœtero-  
que astrorum choro; minimumque abest, quin  
una cum Iove universa gubernet, & ordinet. O  
operationem beatam! ô spectacula pulcra! ô in-  
somnia verissima!*

His imaginibus occupatam mentem, qui  
defert in carcerem, audenter dicat cum Ter-  
tulliano auferamus carceris nomen, secessum  
vocemus, locum mutat fortunâ integrâ;  
domicilium corporis, non animi studia: ut-  
que Semideos poëta refert, eadem illa inter  
Elysios sub terra tractare; quibus quondam  
inter nos afficiebantur.

(a) *Qua gratia currūm*

*Armorumque fuit vivis; qua cura ni-  
tentes*

*Pascere equos; eadem sequitur tellure re-  
postos.*

Sapientem, dum subit in carcerem hac im-  
butus tam nobili cura investigandi semper ad-  
discendi que altiora,

En-

(a) *Aenid.*

*Eadem sequitur tellure reposum,*

Nec timet quicquam ex loco dodecoris, & obscuritatis, sed eum potius illustrat, parique cum Socrate prærogativæ jure, intrat (a) *ipſi loco ignominiam detractus, nec enim poterat carcer videri in quo Socrates erat.*

Sed nascitur alius sapienti, ex carcere frumentus præstantior: illi enim haud raro vertitur in Lycæum carcer, & tentus in compede, manus stylique triumphat libertate. Qui latens vixerat sibi uni notus, tandem instar bombycis ovo suo exclusi mutatus in alitem, libris suis, per doctorum manus volitat glorirosus; mutatoque in scholam carcere, ex privato, & capto fit orbis magister. Ita sol, dum se nobis subducit, suam mundo adverso lumen partitus, infinitam nobis stellarum plebem vice sui relinquit, & tanto suo decore, quanto nostro lucro sub terras se condit. Conchæ fundo mariis captivæ, scopulisque affixæ, sine luce ac sine oculis uniones elaborant, concretoris puncto patrimonia integræ pensuros, & regum capita ad venerationem mortalium ornatos. (b) Sic parietum quatuor detenus angustiis, quadrandi circuli

(a) *Sen. de consol. ad Helv.* (b) *Plutar. de Exilio,*

circuli mensuram, & numeros Anaxagoras invenit. In turris barathro Nævius, haud tristior quam in verticibus Parnassi, magnam partem poëmatum suorum cecinit. (a) Liber Euripides sed sponte defossus subterranea in specu, illas conscripsit tragœdias, quæ orbi theatrum, & miracula dederunt. (b) Arcebat adeuntes à tantorum virorum aspectu carcer, sed eos sua luculentius prodebant opera quam ora, quodque de Bruti & Cassii tabulis in publico funere velatis innuít Tacitus, *eo ipso præfulgebant, quod non visabantur*; istos similiter majori luce suæ tenebræ decorabant, quām si per publicum volitassent.


Quām bellè in eos, illud Tertulliani cadit, de luce trans mare in occasu sepultâ; (a) Rursus cum suo cultu, cum dore, cum sole, eadem & integra, & tota, universo orbi reviviscit; interficiens mortem suam, noctem; rescindens sepulturam suam, tenebras. Ingrediebantur hi viri suas latomias, ut grana seminum suas glebas, victura suis in tumulis, nec inde suscitanda nisi plenis superba spicarum manipulis; adçò ut deinde constaret omnibus ipsos dum mortem simulabant, multorum commodis, & vitæ laborasse. Claustris arctati ahencis indefensâ volutandarum speculationum meditatione

(a) Gell. l. 3.c. 2. (b) Idem l. 15.c. 20. (a)  
De Resurr. s. 12.

tatione, facti sunt publico utiles, & tanquam horariæ machinæ, quæ & ipsæ turribus clauduntur, indice horarum digito, cunctas urbium maximarum dispensant curas. Echo-nis instar, solidis vivo è saxo sepulti cavernis, omnia seque ipsos propemodum perdidere, in vocem dumtaxat conversi vacuam, quam articulare secti carceris lapides, faciuntque orbì universo intellectu sic promam, atque plausibilem, ut de illorum unoquoque possit non inscitè dici, quod auctor metamorphoseon de Echone:

— *Later, nullaque in luce videtur.  
Omnibus auditur; sonus est qui vivit in  
illa.*

Sodales studiorum fidos, solitudinem ac silentium, quos alii ædium in penetralibus, in sylvarum secessu captabant alii; comites carceris individuos isti habuerunt, tanto minus soli, quanto mente collectâ perspicacitate ingenii plura detegebant, siebantque ex imo ilius sui putei habiles ad cernendas etiam de meridie stellas.



## S A P I E N S    I N Morbo.

**D**euca<sup>lio</sup>ne<sup>m</sup> jactavit fabula, philosophia Zenonem: illum saxa in homines do-  
ctum convertere, hunc ipsos homines in saxa;

Instaurator mundi Deucalion è summi Parnassi verticibus, qui unus extabat ex terra diluvio sepultâ portus, retrorsum mittebat lapides osfla magnæ matris.

(a) *Saxa, quis hoc credat, nisi sit protese vettas?*

*Ponere duritiem cæpere, suumque rigorem,  
Molliriq; morâ, mollitaque ducere formam.*

Zeno contrâ, illos quos in discipulos leg-  
rat, transfusâ cautis venâ, imprimis satage-  
bat durare in silicem sensus omnis expertem,  
teneritate omni ex eorum animis exclusâ, ut  
videretur illius Porticus, sculptorum potius  
officina fingendis statuis, quam sapientiæ  
schola formandis philosophis. Primum illi  
ac supremum fuit, animum velut in arcere-  
gia

(a) *Metam.*

gia constituere, ab impressionibus amoris & odii, desperationis, & spei tutâ ; unde cujusvis perturbationis seu violentiam , seu dolos retunderet , nec dedendi sui ulla aliquando cogitationes audiret. Morbis porrò jactato corpore efferatisque illius humoribus, & vitæ extemi articulo pulsatâ periculi, stare immotam jubet mentem velut pelagi rupem fluctus quibus aspergitur, ludentem, & in spumas gracieles dissipantem ; . quicquid autem dolorum membratim torquet ac lacerat, eodem colore, vultu æquali, & pari robore, infrà se spectantem ; ut nec audiatur ullus ipsius ex ore gemitus, nec lachryma prorsus ulla stillare ex oculis videatur.

Docet quin etiam quantò immaniùs in crudescit dolor, tantò lætiùs frontem explicare, ut per gelidos aquilones, limpidiori cœlum sereno vestitur.

Quid dico Zenonem & Stoicos ? Epicurus ipse, animam pro sale circumferens, ne inter probrosas voluptates vivus putresceret ; negavit posse beatum fieri, qui sibi nesciret spinarum aculeos in flores vertere ; mella ex absinthio premere ; de calamitatibus gaudia & lætitiam metere. Cūm enim assereret beatitatis fontem esse voluptatem, & dici beatum posse negaret, qui talis interdùm esse desinet; proinde nosse sapientem debere inquietat quo

54      *Character Hominis literati*  
quo pacto æquè in adversis, & cruciantibus  
atque in prosperis gauderet. Quare (aī apud  
Senecam ille met) sapiens, si in Phalaridis tauro  
peruratur, exclamabit, dulce est, ad me nihil per-  
tinet.

Verò ad hæc tam ardua, debilitatem opi-  
nor suam excusat natura, optetque sibi sic sa-  
pientiam inseri, ut non extinguitur humani-  
tas. Cordatus alii docuere, non esse affectus  
ab radicibus extirpandos tanquam germina  
virulenta; sed (quod solet in plantis sylvestri-  
bus fieri) cicurandos culturâ domesticâ, & in-  
sitione mitiori corrigendos. Dictionarum vo-  
cum confuso strepitu nihil esse deformius; at  
si has ratio mensuris modisq; aptè attemperet  
concentum auribus parere longè gratissimū:  
verum enim verò quod rigidiores illæ Stoæ  
tantum sibi sumperint, ut affectus omnes eo-  
rumq; fibras, jactarent se ab suis posse revelle-  
re; hinc tantum conficitur, ejusmodi nobis in  
omnæ animi perturbationes imperium à phi-  
losophia conferri, ut si minus hominem ob-  
stupefaciat, ejusque incantet cruciatus, cer-  
tè quidem non sinat desperare, vel tempesta-  
tibus malorum, tranquillo mentis deturbari.  
Siste tibi coram ægrotum sapientem, non di-  
co distentum in lectulo, & inter dolores vali-  
dè febrentem; sed in nausea pertinacissimæ  
feros inter gurgites tempestatis. Cedunt flati-  
bus

bas vela; gemunt latera fluctuum verbere; manus tremit, quatit, quassatque omnia armamenta, undatum ferox arietatio. Non est hoc naufragii discrimen, sed maris ingenium. Navarchi peritia, & nautarum ardor, navim per tot procellas in tuto statuent. Sedeat modò ad gubernaculum animi ejusque motuum, infirmus sapiens; quantumcumque ingruat malorum evadet liber, & ubi navim fregisset alias, ibi portum leget.

Videbis in corpore prostrato viribus extum animum; in membris distractis ita compositum ut te duas personas intueti putas; unam Philosophi, alteram ægroti: In hac, medi speciem Olympi, nubibus hispidam; pluviam; fragore fulminum, & telis perforatam: in illâ montis supremum verticem, sereno semper nitentem cœlo, & sole aut stellis gaudentem. Illa in pluviam solvit; hæc instar Iridis roridæ in fletu ridet.!

Scire aves quâ arte id fiat? Ignoras videlicet, ad tranquillitatem mentis, quantum juvet sanitas corporis. Tantus est invicem utriusque nexus, ut alter alterius tangatur sensu, velut chordæ unius pulsui, respondet altera etiam intacta, sed ejusdem notæ, & intentionis. Perturbationes venti sunt animi; mare, turbati humores corporis. Dum venti sœviunt, in tempestates mare convoluitur. (n) Quid-

(n) Senec. qd. 9. 1.

quid

36 *Character Hominis literati,*  
*quid è contrario animum evexit, etiam corpori*  
*prodest.* Jam philosophia si nihil aliud præsteret,  
nisi ut mortem suo merito æstimeremus (cujus  
meriti ad manum habemus dicta robusta, &  
fortiâ) quanti foret nobis metum mortis ab eâ  
eximi, saepe febri pestiferâ pejorem? Quid  
multos levia morbi tentamenta sanos licet oc-  
cidunt, quibus mortem consciens moriendi  
timor ignavus, & suspicax; & detractum ex  
aranei telâ filum, (a) ut olim Diophanti suffi-  
cit ad fauces elidendas.

*Aeneæ inferos ingressuro, occurrere ad li-*  
*men formæ terribiles, Centauri, Harpyæ,*  
*Chimeræ, Gorgones, & terruere impavidum,*  
*manumque Herois ad defensionem capulo*  
*armavere.*

(b) *Et ni docta comes tenues sine corpore vitas*  
*Admoneat volitare cavâ sub imagine for-*  
*ma,*  
*Irruat, & frustra ferro diverberet umbras.*

Eandem hanc operam præstare philoso-  
pho sapientia consuevit. Feri mortis metus  
inferorum emersi faucibus, illique oberrantes,  
cujusmodi sint edocet; nempe tenues sine  
corpore vitas, illudque inculcat Romani sa-  
pientis, (c) *Non hominibus tantum, sed & re-*  
*bue*

(a) *Epigr. grac.* (b) *Aeneid. 2.* (c) *Epist. 42.*

*Eius persona demenda est, & reddenda facies sua, tolle istam pompam sub qua lates & stultos terribas. Mors es, quam nuper servus mens, quam ancilla contempsit. Stultis interea medicinam morbo quærentibus, congelat pectus metu mortis, dum corpus febriculâ stringitur; nec ferunt quidquam videre aut ipsis ad videntum objici, quod iis aliquam mortis excitet cogitationem; stolido illi personis qui luernam extinguebat, ne cerneretur à pulicibus à quibus mordebat.*

*Non me inquit, cernent amplius hi pulices.*

Sed enim hic metus perspicacior est, acutiorque in tenebris quam in clarâ luce.

Tantum ergo si valet animus rite compratus, in affectum corpus; quanta fuerit prærogativa sapientis, cuius mentem serenam, nullus angat aut mordeat timor: morbi acerbitas quælibet in tranquillitate animi conquiescat. (a) *Levem morbum*, inquit Seneca, *dum putas facies. Omnia ad opinionem suspensa sunt. Non ambitio tantum ad illam respicit, aut luxuria, aut avaritia. Ad opinionem dolemus: Tam miser est quisque quam credit.*

Sed leve est, malum non ingravescere, nisi etiam

(a) Ep. 78.

etiam minuatur : minuitur vero in eodem gradu , quo mens alibi occupata ( quod est facile homini literato ) præsentis doloris sensui suffuratur fœse ; ac dum grandinat & pluit , in modum aquilæ , nubes emensa , & fulgura , in serenum evadit . Captis à Marcello Syracusis , Pæane hostili & civium lesto omnia misceret , percursantibus utrisque tumultu ingente urbem totam ; illis ad prædam , istis ad latebras , & fugam ; ducendis Archimedes immersus lucteis , nihil videt , nihil audit , nihil ad ea quæ tanto fragore circum obstrebant advertit animum ; totus suis illis in mathematicis descriptionibus extra se positus impatientia militis necatur , & mortis metum , casu non præviso moriens antevertit ; graviusque illi fuit quod inchoatam figuram quam quod solitum & naturalem vitæ cursum non absolveret . Soloni pariter animam agenti cum adstarent amici philosophi , & de re quapiam movissent questionem , ille quasi moriendi oblitus , fugitivam in cerebrum revocat animam , & evigilantis in modum oculos aperit , aures præbet , nec prius desinit vivere quam illi disputare . Num fugit quandoque Seneca in abditissimas latebras philosophicæ contemplationis , ut accessionis febrilis horas vifaret imminentes ? Quid Theologiæ Angelus S. Thomas , num sensum dolori subtraxit , quem inustura illi

Illi erat ferri carentis medicina , coactis vide-  
licet totius animæ viribus in profunda sua-  
rum cogitationum ? Qui usus colligendi sui  
erat etiam illi in studendo familiaris , & quoti-  
dianus .

Teneris lecto corpore affixus , fac ne simul  
animus teneatur : tam longè aberis à sensu do-  
lorum præsentium quām longè animus à cor-  
pore abscedet . (a) Illud est quod imperitos in ve-  
xatione corporis male habet . Non assueverunt  
animo esse contenti . Multum illis cum corpore  
fuit . Ideo vir magnus ac prudens , animum de-  
ducit à corpore , & multum cum meliore , &  
vinâ parte versatur , cum hac querulâ & fra-  
gili quantum necesse est . Innuit Seneca circino  
similem esse sapientem , qui defixo in centrum  
pede uno , propius longius circulos circa illud  
describit .

Sed hic nobis unus præcepta omnium ex-  
primat in seipso . Posidonius sapiens & ægrotus ,  
quod dixi stabiliet , literis nimirum & sa-  
pientiâ , restagnantibus dolorum aquis jacen-  
tis supervehi , non secus ut crocodilus dorso  
nidum portans suum , refuso Nilo supernatat .

Erat hic multorum annorum & philoso-  
phus , & ægrotus , pluribus divulsus cruciatibus  
quām membris , nulla sui parte dolorum ex-  
pers , qui si forent in multos divisi , erant noso-  
comium

(a) Epist . 22 .

comium integrum conflaturi; in Possidonio collecti ægrè unum ægrotum fecerant, Nempe animi robore, debilitatem firmabat corporis, nec magis animum cruciat us membrorum attingebat, quam elephantis viscera sagittæ, quæ in ejus pelle casto vulnere moriuntur.

Magnificum Portenæ, Romani pectoris ostentum dedit Mutius Scævola, cum erroris sui, quām manus ardoris dolore iratior spectavit illam intrepidus nudatis ossibus defluentem, quam errantem ab ictu sine indignatione non potuerat videre. Tantus certè fuit Regis stupor, non modo ut suum laudaret particidam, dolentem quod non occidisset, sed ejus defensor contra se ipsum acederet; jubaretque stillanti manui subtrahi foculum, quæ sola erat digna luce; & majorem palmarum errando promerita, quām si ab ictu suo non errasset. Unum hoc fuit unius Scævolæ, unâ manu ad brevissimum tempus cruciati, ausum unum, & quidem Scævolæ Parricidæ, Scævolæ non illo tantum cruciatus, sed morte dignissimi, & acerbe sibi ac furiosè inimici: Possidonus tot annos in lecti equuleo distractus in modum Anaxarchi membratim in mortario triti, tunsones dolorum perpetuas toto corpore perperitus, & hoc uno superstes tot mortibus ut diutius moretur; sui totius miserabilem lanienam oculo despectat non arcenti

arenti modo sed hilari. Quia etiam mutato  
in exedram conclavi, lecto in pulpitum, æ-  
rumnas suas in philosophandi vertebat argu-  
mentum. Concurrebat Rhodium ad spe-  
ctaculum hominis, qui ex vulneribus propriis  
balsamum miscebat alienis; mirabilior colosso  
illo ænco, qui fauces Rhodii portus superbo-  
situ calcabat simul & amicè complectebatur.  
Videre hominem voluit Pompejus Græciam  
obiens, & certam rerum fidem cum fama  
componere; inciditque ut illum in eo vide-  
ret cruciatum extremo, quo nunquam fuerat  
excarnificatus atrocius. Venit; vedit, victus est.  
Dolentem ex Possidonio, Pompejum putas-  
ses ægrotum, Possidonium sanum & valen-  
tem. Dum enim placide admodum & prolixè  
cum Pompejo philosopharetur, effatum illud  
intrepido & imperturbato animo afferens,  
(a) *Nihil bonum esse, quod honestum non sit.*  
ejusque interim vitalia intima atrocissimus  
dolor disperperet, dolorem illum suum mini-  
mè dolens, sed increpans, *nihil agis dolor (in-  
quit) quamvis sis molestus, nunquam te esse  
confitebor malum.*

Sic sapientia literarum medulla & princeps  
longè melius quam in palude Stygiâ Achilles  
hominem temperat ut sit petitionibus dolo-  
rum impenetrabilis; abstinetque mentem tan-

Sic ergo sapiens in egestate, in carcere, in exilio, in morbo; habet horum malorum unicuique verbis duobus praesentem medicinam.

(a) *Pauper fiam? Inter plures ero. Exul fiam?  
Ibi me nasum praeabo, quo mittar. Allegabor  
Quid enim? num solus sum? Ad hoc me na-  
tura corporis mei grave pondus adstrinxit. Mo-  
riar? Hoc dicas. Desinam agrotare posse, desinam  
alligari posse, desinam mori posse.*

Indicata igitur paucis verbis beatitate, quam suis alumnis literæ conferunt; ut luculentius emineat color quo tam nobile argumentum visus sum mihi suâ in luce sta- tuisse, obducam illud suis umbris; & si non obscurè probavi hactenus suis quoque in ma- lis sapientiae bene esse, nunc palam faciam suis etiam in bonis igno- rante am esse infelicem.



IGNORANTIA  
cum felicitate misera.

*Ignorantia cum sanctitate.*

**S**ANCTITAS gemma est omni superior æstimatione; auto et si non fulget, auri luce non eget, ut inter splendidas ingenii faces, & scientiarum radios se ostenteret. Nihil ei propterea decedit meriti, nec minoris fit ab illo negotioso mercatore, qui totâ suâ re nihilo minus illam emit.

Acumen ingenii, castigatum illud æquitatis divinæ examen floccipendit, integratæ probæ mentis omne p̄t̄ium adscribit: Ingeniosa sensa pro ludicris habet: ardentes affectus unicè æstimat, solosque prædicat benevolentiaz suæ prærogativa dignos. Novit nimium Lucifer judicii hujus sanctum & terrible discrimen. Totus in animo ingenii factibus ardens, & fulgurans; totus glacie concretus in pectore; dum vasto ambitu veri solis in cœlo affectat imperium, tenebrarum imperio apud inferos damnatur. Hic enim verò cum detactis ab se domicilio suo stellis præceps,

*Character Hominis literati,*  
*mortales edocet, quanti sit vitæ integritas, præ-*  
*acumine sciendi ; dum homines indocti &*  
*rudes illuc evolant, unde doctissimi, & perspi-*  
*cacissimi scientiarum omnium Angeli exci-*  
*dére.*

Caput à nemine Deus exegit unquam;  
 excepto nemine cor ab omnibus poscit. Crea-  
 tionem orbis chrónologo suo Moysi dictans,  
 cœli molem, stellarum numerum, aspectus,  
 affluxus luminis, defectiones, vias, colores Iri-  
 dis, ventorum volatus, conditionem cœle-  
 stium liquidam aut duram, accessiones maris  
 & decessiones, & quidquid illud est quod ter-  
 ram movet, & concutit, omisit. (a) *Qua nihil*  
*ad vos* (inquit B. Ambrosius) *qua si nihil profu-*  
*tura præteriit.* Ea solum dictavit quæ fundan-  
 dæ in hominum animis fidei, futura usui cen-  
 suit, & legis quam ferebat observationi op-  
 portuna; cætera tacuit quasi (b) *marcescentis*  
*sapientia vanitates.*

Dei verò sapientia verbum Patris, omnium  
 exemplar idearum, num primam habuit in  
 speluncâ scholam? In præsepi suggestum, in  
 bove & asino confessum, ut mediae noctis si-  
 lentio, veræ Philosophiæ arcana fletu & ge-  
 smitu traderet? Quid deinde professor, dispu-  
 tator, scriptor? An de se aliquid unquam pro-  
 didit literarum, quod (ut ait lepidè Augusti-  
 nus,

(a) *Lib. 6. Hexamer. cap. 2.* (b) *Ibidem.*

nus) *jota unum non fuerit*, minima scilicet literarum; aut minimâ minor *apex unus*?

Venit ille, fateor, ad Philosophiam Lycæ & Academiæ convellendam, & ignorantia nomine publicè traducendam; ad hoc tamen stylis tumore & subtilitate ratiocinandi exotica prorsus abstinuit: verbis simplicibus est usus: *fecit lutum de sputo*; & parabolarum quasi luteo quodam medicamento, & arrepto ex trivio, cæcorum oculos reparavit. Quid deinde Christianarum latores legum Apostolos, & æterna veri oracula, cujusmodi legit? imperitos, agrestes, remulcandis, solvendis, applicandis naviculis non ineptos, cæterum illiteratos ac planè idiotas. Horum tamen rudimentis & solœcismis (inquit Theodoretus) philosophantium omnium elicit argumenta.

Hac Deus gloriâ sanctitatem literarum experiem decoravit, quo minus streperam, hoc ipso pulchriorem; quo minus subtilium disputationum emunctam torculo, hoc meliorem & succo saturam pinguiori.

(a) Prorsus nihil ignorat, quæ præter Deum ignorat omnia. Hunc si quis ignorat, nihil scit. Quare haud cunctanter admittit Origenes, scelestum illum publici curatorem, & sacrilegum sacerdotem Caipham Hebræorum

D, 3

rum

(1) Bern. ser. 36. in Cant.

*Character Hominis literati,  
rum Satrapis, verè objecisse, vos nescitis quic-  
quam. Verè enim nihil noverant, qui Iesum  
veritatem ignorabant.*

Dignetur me Deus merito ejus laudis qua Stephanum Monachum ornavit S. Gregorius:  
*Erat (inquit) hujus lingua rustica sed docta vi-  
ta. Se ipsum me doceat, se mihi apertiat; &  
fontem sapientiae terrenae, utnamque seu cu-  
piditatem ejus hauriendae, atque nuni obji-  
cio.*

Hactenus ex aliorum sententiâ potius quam ex mea sum locutus; eaque in medium attuli, quæ non ita sunt omni ex parte vera; licet ea nonnulli tanquam certa minimeque dubia palam jactent, nonnulli (inquam) qui (ut refert Nazianzenus) (a) ad inscritia prae-  
xatum, piscatorum se discipulos profitentur, & quas ipsi vel neglexere, vel assequi minime potuere scientias, eas reprehendunt in aliis tanquam à Christi & Apostolorum scholâ alienas.

Clericus aliquis eximiè ignarus, sed in rationum suarum ac census annui versandis codicibus insigniter doctus, tuebarur se patrocinio illo S. Pauli, *litera occidit*. Huic egregius ille in Anglia Thomas Morus vel emendando, vel ludendo, Epigramma hoc scripsit:

*Magne*

(a) *Orat. 27.*

*Magne pater: clamas, occidit litera, in ore  
Hoc unum, occidit litera, semper habet,  
Caristi bene tu, ne te nulla occidere posset  
Litera, nam nulla est litera nostra tibi.*

Sanctitatem indoctam & simplicem, summo habendam in pretio, quis negavit unde quām Meliorem esse literato sanctum, cui venit in mentem dubitare? At enim qui junctam cum doctrinā fœdere nobili possideret sanctitatem, præstare utriusque, haud scio aut quisquam auctoritate ambigere. Lucere simul & ardore, quod de suo Baptista Christus; De ardore ignes, de flammis latè splendorem spargere, quod perfectum S. Bernardus pronuntiat; manus habere sub pennis actuofas, pennas ad volatum extentas; collectum è cœlo ac terrâ favum sic ore præferre, ut de illius melle vitam cœlestem hauriat animus, de cerâ lumen doctrinarum aliis suggestur; cum lege Manna eodem condere ante æ arcæ sacrario, ut in ejusdem Edeni horti beatis areolis cum vita arbore arbor sapientiae claudebatur; Deum deinde simul & amare & nosse, quis neget esse in terris expressum rudimentum beatitatis sempiternæ, atque etiam sotile par illud beatum copulatæ cum scientiâ sanctitatis, thronum Dei duobus fultum Cherubinis non immixtò appellari?

Inter singularia illa dona, quibus intimos suos Dei magnificentia dignatur, certò sunt literæ. Nam si tanti fuit unam Abrahamo non minis su dedisse literam, ut solent Reges, ait Chrysostomus, *Prefectis aureas tabulas tradere, signum videlicet Principatus*; Quid p̄i quibus non addit unam de suo literam Deus, sed mentem prorsus instruit doctrinarum suppellectili copiosâ; quâ tanto sibi similiores facit, quanto eos attollit ad plurium sublimiorum intelligentiam? (a) Priore hac osculi petitione quâ sua cantica sponsa exorditur, & sponsi amorem, & cognitionem ex eo poposcit, illum in mutuo labiorum contactu; hanc in eloquendi facultate, simul cum spiritu, in os ipsius ab exosculante sponso transmittendâ. *Petit osculum* (ait S. Bernardus) *id est spiritum sanctum invocat, per quem accipiat simul conscientia gestum, ex gratia condimentum.* Et *bene scientia que in osculo datur, cum amore recipitur, quia amoris indicium osculum est.* Iste Bedâ interprete sunt (b) *filiâ lucis.* Dies diei erubet verbum. Per diem enim accipimus limpidissimum, ex lucidissimum ingenium ad divina contemplanda habentes, (utque cum Ambro-  
sio loquar) (c) *Ipse est dies, Dei filius, cui Pater dies, divinitatis sua eructat arcanum;* sic istis ipsem

(a) *Serm. 8. in Cantic.* (b) *In Psal. 18.* (c)  
*In Psal. 18.*

**I**psem est dies filius, scientiarum fons, suaque in eos abunde partitur sapientiae lumina. Sunt iidem ex Origene lilia, & veritatis candorem dicendo præferunt, agendo purpuram velatum Caritatis. Hi, si nodo felici, docere & facere junixerint, fulgebunt ut stella in perpetuas aeternitates: fundabunt Hierusalem auream, tanquam inæstimabilis pretii lapides; quod magno Cypriano tribuit Augustinus, idem & ipse promeritus cum Cypriano, cum Areopagita, cum Athanasio, Nazianzeno, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio Magno, aliisque ingenti numero, qui sanctè vivendi pariter, & sciendi præstantiam admirabiles extitent.

(a) Homo sanctus, sed literistarens, oculo altero orbus est; talem hunc putavit Theologus. Ad cognoscendum enim Deum, ex quo sequitur ut eum amemus, magnum scientiae præsidium conferunt. De quo en nobis solœcismi specie animadversum ab S. Ambrosio arcanum. (b) *Defecerunt oculi mei, dicentes, quando consolaberis me?* Quam enim aptè de se oculi, dicunt, me? Lineæ quidem seu radii, quos centrales vocant, oculi utriusq[ue]t; juncti uno in puncto, utriusque vim totam sic in unum conferunt, ut gemini licet oculi, minimè tamen gemina judicent singula quæ sub

D 5 aspectum.

(a) *Orat. 20.* (b) *Psal. 113.*

aspectum cadunt ; perinde ac si unus duntat videtur oculus : sed unus ille vel potius instar unius videns geminus oculus , multo res acutius perspicit , & distantium rerum spatia metitur omnino certius . Ad cognoscendum Deum cum fide accedit scientia , ( quod forte innuit Rex vates ) ex utroque quis neget validiorem effici oculum , planaque lyncæum ? Non nocent igitur literæ sanctitati , sed magno utrinque compendio sociam illam commodant operam , vel præstant famularem . Christi ad exemplum quod attinet , ut ex eo item perspicue constet indoctæ sanctitati quantum prætulerit eruditam , an ab suo illo miseriatur nostrarum tam vasto , diligentem , & avarœ complexu temerè illum putabimus solam ignorantiam exclusisse ? An potius ne in eo qui se lucem mundi profiteretur esse , locum tenebræ invenirent ? In paupertate summa egens ; in exhausto corpore imbecillus ; in desertis solus ; in sui contemptu neglectus , & abjectus ; in nuditate sanctissimi corporis , proh ! quanto pudore circumseptus ; in acerbitate dolorum atrociorum , ante crucem , in cruce , ubique malis omnibus saturatus ; nusquam ignarus videri voluit : sed Jacobi vocem , sub agrestibus & hispidis Esau involucris constanter retinuit ; ne aut sapientiam patris aliquid lateret , aut mundi magi-

strum, latuisse aliquid videretur. Quod enim  
altriùs Philosophiæ suæ sacrofancæ dictata  
divina non efficeret, efficiebant oculi noctua-  
rum, ægrè ipsam quam iis admovebat lucer-  
nām tenuem ferentes. Ut verò tunc tacito  
propè silentio opus sibi à patre mandatum  
peregit, sedecim exinde sæculis, tot orbem  
magistris de sapientiæ suæ thesauro infinito  
edoctis & exaggeratis implevit, eorumque  
stylo & linguis tam sublimi & clarâ voce lo-  
qui pergit, ut non dubitanter jam possit illud  
à quolibet dici. *Hoc quod continet omnia, sci-  
entiam habet vocis.* Laudate igitur pueri do-  
minum (inquit Augustinus) sit senectus ve-  
stra puerilis, & sit pueritia senilis, ut nec sapientia  
vestra sit cum superbâ, nec humilitas sine  
sapientia, ut laudem dominum ex hoc nunc, &  
nique in saeculum.

IGNORANTIA  
*in Dignitate.*

**S**Tulte meâ quidem sententiâ faciunt scul-  
ptores, qui non posunt gigantem aspe-  
ctu terribilem fingere, quin ei divaricata tam  
fœde

(.) *In Psal. 118.*

fœdè crura, manusque utrinque tam latè projectas affingant, ut si terram foret uno passu mensuris. Transfert errorem hunc Plutarchus in Principes, qui putant suam majestatem ut venerationi sit omnibus, terribili specie efferandam. Gravitatem ergo, & severitatem meditati nescio quam, frontem asperant, torvè respiciunt, superbè oculos & avare dispensant; demumque ipsos intuentibus, proximè, in mentem revocant illum alium de quo Poeta:

(a) —— *Magna par Regni trucis  
Et ipse Dominus, cuius aspectum timet  
Quidquid timetur.*

Auctoritatem cordati principis & magni assequitur nemo vultuoso & feroci aspectu; nec major habetur qui terribilior; sed in quo plus est tum scientiæ rûm potestatis. Ille (inquam) qui totus oculus, & totus sceptrum est, plus habet de magno principe, & divino; quod Ægyptii volebant intelligi, dum utroque hoc symbolo Regem exprimebant Eger proorsus majori scientiæ instructu, quisquis publici arbiter & privati, deltituit ingenio, eaque soliditate judicii, quæ præceptiones illi officiorum suorum dicit, præscribat-

(a) *Seneca in Herc. fur.*

scribatque quid possit ut Princeps jubere ;  
præstare ut Jūdex ; ut Pater consulere. Tan-  
tum alioqui decedit Principi dignitatis,  
quantum hujus eruditionis, cogiturque ille  
maxime obscura & difficilia alienis oculis vi-  
dere. Ac si quem pudeat partem sui præci-  
puam quā continetur intelligendi vis, suo-  
rum cuiquam formandam subjicere, malit-  
que per se illa statuere quæ trutinam pos-  
cunt suā illā indoctā castigatiorem, *Tum ve-*  
*rò (ajebat Xerxes) Ignorantia Principis Ro-*  
*gni navim agit in Syrtes. Erret planè oportet*  
in multis gravi suo & aliorum damno prin-  
ceps, paucis tantum aspersus literis, aut of-  
ficii sui partes aliis permittat ; hoc est vivat  
exinde princeps truncus & mutilus ; ut qui  
geminō ad tenendum Reip. clavum non sit  
instruētus absoluti Principis brachio, sa-  
pientiā videlicet & potestate. Mori maluit  
Joannes Imperator, quam truncandam præ-  
bere manum venenato vulnere corpori lethā-  
lem, *forem enim tunc (ajebat) semi-Impera-*  
*tor, nec mundi habenas flectere una manu pos-*  
*sem, quas agrè ante ad uabis tenebam. Formæ*  
suæ pars deelt media, cui desunt literæ ; muti-  
lus ille & semi-Princeps est.

Quid illi tandem, nescio cui, subire in-  
cerebrum & stylum potuit, qui contendē-  
bat ignorantiam esse Principum dotem sum-

mam , illisque pro omni encyclopædia li-  
neam illam sufficere , quam unam Ludovi-  
cū XI. filium Carolū VIII. doceri ; *Qui ne-  
scit dissimulare , nescit regnare.* Somniabat  
forte is quisquis est, non posse quempiam do-  
ctum simul esse ac prudentem; & cum Regni  
administrandi curis , non posse meditatio-  
nes Philosophiæ conciliari. Sic Regum ma-  
nibus sceptrum aptabat , ensem lateri ; **Capiti**  
**Midæ aures;**

(a) *Aures lentè grandientis aselli.*  
*Aures aptas grandioribus fabulis.*

Talem sibi Agrippina filium , maritum ,  
parricidam formavit Neronem , ne esse desu-  
neret bellua , si cœpisset esse Philosophus :  
Talem se ipse finxit Licinius Imperator , qui  
literas omnes jussit reas esse majestatis , et si ab  
iis nec offensus esset unquam , nec agnitus ;  
cum esse homo non prius cœpisset **quām**  
**quadrupes.**

Contra hunc itaque vel tam crassum erro-  
rem , vel amentiam potius , inter alios cen-  
tum exurgant Augustus , Germanicus , Titus ,  
Adrianus ; sequatur Antoninus cognomento  
Philosophus , Alexander , Constantinus ,  
Theodosius ; omnes dupli sapientiæ & Im-  
peratoris , coronâ præfulgentes .

Hinc

(a) *Metam. Tertul. de pall.*

Hinc stet ille orbis per annos quadraginta  
tum prudentissimus, tum felicissimus arbiter  
& rector Augustus, quem Suetonius & Dio  
referunt horas quotidie aliquot suffuratum  
decretoriis belli curis, quas literarum studio  
occuparet. Stet inde omnium inscientissi-  
mus Domitianus, qui statam & ipse horam  
habebat quotidie, sed configendis muscis;  
quarum ut quamque figendo necasset, nega-  
bat rectius collineaturum fuisse Apollinem.  
Hinc ille, pro altero Jove habitus Alexander  
Severus, non idcirco quia Imperator esset &  
manu gestaret fulmina, sed propterea quod  
esset Philosophus & Palladem in capite ge-  
staret. Inde stultum illud imperii ludicum,  
indutus Bacchum Caligula, hederâ coro-  
natus, vestitus tigride, plusque ex eâ de be-  
stiâ referens quam de Deo; prodeat, in-  
quam, & responsa edat, huic belluino paratui  
consona.

(a) *Quis illum docuerat Thracem barba-  
rum Cosingam in editissimo rupis celsæ ju-  
go scalas adinovere cœlum versus; & ascen-  
tu jam altius proiecto, velut in primo stan-  
tem cœli vestibulo, ex ore Junonis quæ ad  
rem publicam facerent auscultare; excepta  
ad suos referre? Norat barbarus imperia Prin-  
cipum, & leges, tanto apud populos pluris*

E 2

esse.

(a) *Poth. strat. 7.*

esse, quanto creduntur à nobilitati, & intelligentiori mente descendere. Hac ego potius de causâ quam conversionum sphæris illis aut per se mobilibus, aut saltem levissimis, magistras vertiginum mentes, opinor ab scholis omnibus philosophantium attributas, ut mundus pacatior suæ acquiesceret gubernationi, dum scilicet cælestium in terras influxum impressiones varias, & vim illam syderum fatalem earum mentium consilio ac providentiâ dispensari unusquisque intelligeret. Alexander etiam tum puer, & verba omnia sua ex Aristotelis arbitrio ac disciplinâ fingens; Persarum excipiendis legatis, cum Philippi parentis obiret vices, iis magnæ fuit admirationi. (a) Nimirum petitionibus eorum sagacissime tentatus ita satisfecit, ut Magni Regis consequeretur ab iis opinionem, & titulum, dum esset adhuc puer Princeps. *Iste, inquit, puer Magnus Rex est, noster autem Dives*, quam te tantum in iis sui desiderium accedit, quam illustre sapientiæ senilis ostensum præbuerat. Demptis certè nævis aut juvenilibus, aut ex bellicosâ, & ardentiori naturâ fervidis, si tanti Monarchæ vita omnis ad limam vocetur, non illam Senecæ Cynicam magis quam Stoicam, sed prudentissimi Plutarchæ, libebit

(a) *Plutar. orat. 2. de fort. Alex.*

*ad singulas ejus actiones exclamare Philosophicè!*  
Et verò cum in aulâ suâ Princeps magnus  
ita se habeat quemadmodum suo in locula-  
mento statua, quæ dum loculamentum ornat,  
ab eo quoque decoratur, adeo ut mutuus  
utrinque splendor affulgeat; cujusmodi esse  
decebit aglam principis literati? Delirabat  
musice Nero suos inter cantores Apollinem  
agens cum musis novem. Ælius Verus im-  
perator inter suos variorum plumis vento-  
rum, Austri scilicet, Boreæ, Zephyri per-  
sonatos, Æolum referens & verè ventosus  
ridiculâ sese ostentabat & jaetabat infaniâ.  
At verò doctus Princeps suis stipatus aulicis,  
Soli medias inter Sirenes consistenti citra fa-  
bulam & mendacium similis videri pote-  
rit; & quemadmodum Solem Sirenibus  
pro plectro esse Cleanthes ait, quo illæ ple-  
ctro tactos planetas reliquos agunt, & har-  
monicos eorum cursus moderantur: ita  
sapientes aulici, quibus Regni administra-  
di cura committitur, regii nominis autho-  
ritate tanquam plectro, Provinciarum Prä-  
fectos & urbium, minorâ scilicet regai si-  
dera, suæ quemque provinciæ aut urbi,  
tanquam certo & peculiari cœlo affixuna  
movent; literato Principe Solis inter eos me-  
ritò nomen & locum obtinente. Et verò si  
de cœlo ut de aulâ scitè Manilius cecinit, sunt  
*E s stella*

*stella procerum similes &c. & Julianus Imperator Solem Regem putavit cui famularentur assidua stellarum obsequia ; Quidni autem vocemus cœlum , & Regem Solem ; qui doctâ scilicet ingenii luce splendeat ; qui polleat imperandi vigore ; qui tot inter astrorum lumina , quot sunt prudentes aulici sapientiae suæ eruditos radios partiatur , & ab iis per obsequia sibi præstata refusos cum fœnore & lucro recipiat ?*

Verius & pretiosius hoc aulæ Regiæ cœlum est , quam materiatum illud à Cosroe quod in aulæ capacis sibi camerâ finxerat . Ejus curvaturam sereno pinxerat cœrulo ad similitudinem nocturni ætheris . Cœrulum illud micantibus ex auro stellis seminarat , & sphærarum mobilium commissionibus ordinatissimis in modum & speciem hujus univerſi distinxerat . Sedebat otiosus in medio Barbarus instar magis aranei de texturæ suæ insidianis cavo , quam Monarchæ circumstructum orbem moderantis .

Beatius Seneca nihil invenit quo admirabilitatem sui Jovis mortalibus proderet , quam si statuisset illum in circulo Deorum aulicorum , ex adamantibus limpidissimis ita fuso , ut lucidissimos singuli ab Jove exciperent radios & exceptos vicissim in Jovem ipsi refunderent ; fieretque privata cujusque lux

lux omnium publica. Et sanè si hic ipse Jupiter flectat parumper oculos in sapientem aulam Principis literati, vel stupens vel gestiens dicturus idem planè sit, quod, cum vidi orbem universum à magno Archimedo exigi vitri angustiis comprehensum, fertur dixisse: is enim

*In parvo cum cerneret aether  
vitro*


*Risit, & ad superos talia verba dedit:  
Huccine mortalis progressa potentia cura?  
Sic meus in fragili luditur orbe labor?*

Invasit aliquando Dionysium tyrannum philosophandi seu ardor nobilis sive cacothes, quo fessam tractando ferro tyrannidem quam exercebat in corpora, movendâ lingua felicius in hominum animos exercebat. Ut cumque fuerit, Athenis Platonem accersit Syracusas, nec par erat futurus quibet alius eruderando illi saxo, ex quo tamen nunquam excudere Mercurium valuit. Nempe homines potens in philosophos mutare; feram in hominem vertere non norat. Venit Attico melle fluens Plato, sed illam cæsorum sanguine imbutam spongiam mellis ejus vel una stilla subire non potuit. Mox tamen ut audiri cœpit apud

E 4

Dio-

Dionysium Plato, en tibi conversione regentiuā scenān tota aula mutare, & quasi virgæ contactu magicæ, ab ea quæ fuerat videri penitus alia. Heri Regia cruentum ci- vium macellum, & Caci spelunca; hodie Lyceum & sapientiæ augustal, in quo non soli philosophabantur homines, sed & parietes quorum nulla pars erat vel geometri- cis vacua descriptionibus, vel numerus phi-losophicæ computationis. Ipse cognomen- tum carnificis publici, Philosophi nomen- clatione venerandâ sepelierat Dionysius, spe- stabaturque jam inter Principes tanquam Semideus, & celebrabatur ab iisdem, qui- bus paulo ante execrationi fuerat, & horro- ri. Tantum valent in Principem literæ; tan- tum in suos Princeps literatus.



## I G N O R A N T I A *in Armis.*

**R**idebor hic fortè dum videor unionum seruo collum militis coronare, & spon- am magis excolere quam Polydamantem, Quorundam est hallucinatio, enervari ani- mos

mos literis, & illos cordis igneos spiritus elaboratos ad robur corporis, earum studio, in enpice absumi. Proin quantò illis utuntur felicius, stylo aslueti; tantò languidius rem ferro agere soliti.

*Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes  
Emollit mores nec finit esse feros.*

Quæ plus ingenii produnt animantes, timidiiores sunt; quæ magis sylvas & lustra sapiunt, bello sunt aptiores. Philosophia, leges, & poesis haud magis militem decolorant, quam Poetam strictus ensis; Jurisperitum libratus in ictum scopus; crispata Philosophum lancea. Quod de se nimium probavit Hercules, cum lyrâ tereti ad magistri caput comminutâ scholæ valedixit, non valens manum carpensis fidibus accommodare, clavæ ac eædibus destinatam; nec aureas natas monstrorum spernendis rugitibus, & supremis cadentium tyranorum vocibus audiendis; cytharæ modulis affluere.

Neque vero id ago ut velim virum bellum Platонem agere, vel Archimedem, aut Homerum; id solum mihi nemo contendet, quemadmodum illum arnia non dedecent, auri saltē exigui bracteolis ali-

quot illusa ; sic neque ingenium specimine aliquo aspersum literarum ab ejus armis & dignitate abhorre. Aquila fingens oculo Solem, & ungue praedam ; Hercules manum domandis monstros sic commodans, ut ferendo cœlo cervicem non deneget ; Apollo cum lyrâ simul aptans sonantem lateri pharetram ; Pallas stylo armata & lanceâ ; Mars demum quilibet nonnullo tintus colore doctrinæ, non video cui damno Reip. vel decori sit. Nisi forte rubigo informis quæ arma deformat, ingenii ornamento sit. Tantumne igitur irarum est hastam inter & stylum ; inter centurionis lacertosum robur, & pectus cordati hominis ; inter pugnantium conatus egregios, & prudentiam viri cætroqui fortis, sapienter scienterque, ut tulit occasio, verba facientis?

Lis est inter otiosos vetus, præstetne facere scribenda, an scribere facienda ? ferat quam volet quisque sententiam, communi consensu felicissimi sunt quibus contigit utrumque. Instet ferro manus, factis immortalibus gerendis ; instet etiam stylo iisdem factis æternitati consecrandis ; sit ipsa suimet historica, & fideliter scribat quæ fortiter gerit ; Principem denique siderum æmuletur Solem, qui seipse qualis & quantus est ultrò manifestat, absque adminiculo lucis alienæ. Enim-

verò

verò potest ne supra illum geminæ gloriæ apicem, mortalium virtus ac nomen in terris assurgere? sunt enim ferè historiæ, aut mancæ ac mutilæ si serius prodeunt; aut si celerius, suspectæ. Sic nimirum comparati sunt à naturâ ut plurimum scriptores, ut dum bella sonant aliena, pro suo quæstu pugnant, & nemoriantur fame inhonestâ, indigno planè commercio plus licenti suum calamum & famam immortalitatis addicant. Ii corvinâ ingluvie *Victorem Cæsarem* paucenti cantant, non vincenti; & patribus nitedulis similes, ventre lumen ducunt, quod alios fundant. Quantò præstat suimet ipsius historicum agere, fidéque præviâ & honore sic stylo imperare, ut nihil fingat non verum fidelitas; nihil veri justique honoris, sincera laudis cupiditas omittat. Plus debet Julius Cæsar stylo suo quam ensi: ense hostes cæcidit, stylo vivit; retinetque duplicem gloriam, & præstantis historici, & fortissimi bellatoris.

Suo quidem ensi Rogerius Siciliæ Rex in paucis eximus, hanc jussit insculpi epigraphen,

*Appulus. & Calaber, Siculus mihi servit,  
& Afer.*

*Aptius profecto stylo suo quam ensi Cæ-*  
E 6 *sar*

far de tot præliis, & hostibus victor, triumphorum gloriam inscribere potuit, utpote quem fecerat ensis in campis, ubi pugnaverat, victorem; stylus verò in orbis universi, & temporum omnium theatro spectabilem.

Risit Alexander (*& quis risum teneret.*)  
 Græci sculptoris vanitatem; qui assimulatus in Herculem, [Tuā Rex virtute, infit, & felicitate ensis hujus tui generosi, orbis universus tibi in templum mutatus est honoris. Tuā deest huic templo statua, quam aliarum more statuarum metiri tua non sinit excelitas. Virtus tua Deorum æmula, & gigantibus major, nihil habet jam cum hominibus affine. Volo per te, si licet, opus meum & artem tuo nomini consecrare; tibique sculpendo, & nomine tuo quod meo in opere semper vivet; & operi meo quod tui nominis fama commendabit, immortalitatem affingere. Mens itaque est mihi editissimum orbis montem in statuam tuam incidere, ut qui terrā cœpisti esse major, cœlo sis æqualis. En ex Thessaliā mons Athos montium supremus, suum tibi verticem submitti, rogatque in Alexandrum fingi. Ego verò sic fingam ut pede altero vastum mare, altero terram premas, sitque hoc tibi utrumque pro basi magnificā elementum. Faxo item ut manu altera, ingenti

genti fundas ex urnâ fluvium ; alterâ urbem sustentes egregiam. Nec justo quicquam futurum est immoderatius , si fundas manu alterâ fluvium, alterâ urbem portes , cum pugno re ipsâ orbem complectaris. ] Subrisit, us dixi , Alexander , & vasti sculptoris artisque insanam respuit vastitatem. Ardebat is quidem si quis alias cupiditate majestatis , & æternitatis ad posteros ; sed volebat agnosci non in colosso gigas , & procerus ; sed in præliis , in dictis & gestis , sæculorum dignus admiratione. Eamobrem cælum , & scalpta Stasimachis rejicit , Homeri sibi musam optavit heroicam , inviditque , exclamans , fortunæ Achillis , quod suppeditasset Homero fortia merita , laudes ab eo meritis parres receperisset. Proh quanto fuissest opportu nior Alexandro poetâ historicus , qui veris hominem gestorum illustrium clarum argumentis , procul mendacio fabulæ , posteritati commendaret ? Quin potius , quid erat cur Alexander id officii non præstaret sibi , aut ambiret immortalem ab alio famam , cuius penes se haberet potestatem , si tam stylo quam ferro non dignaretur excellere ? Omitto non raro in armorum usu eloquentiam esse per necessariam ; si vel animandus , vel increpandus est miles , vel forte inhibendus. Non dico machinis , & munitionibus

construendis quantum opis geometria conferat. Hoc nostræ, hoc veteres loquuntur historiæ. Juvit etiam interdum astrorum nonnulla cognitio, ne orto ex defectione Solis terrore stolido dissiparetur sine hoste ac vulnera, & per se debellatus periret exercitus. Quod factum alias non semel, haud potuit aliâ nisi rusticæ ignorationis intolerandâ culpâ excusari ; quâ ille sanè culpâ sed tunc innocentî laboravit, cum decem in menses annum divideret, cui dixit Faſtorum Romano-rum cantor :

*Scilicet arma magis quam fidera, Romule,  
noras.*

Hæc & similia, quod belli Duces tangant potissimum, libens prætereo ; unum est ad quod animos adverto militarium virorum, non stare illos semper in acie & armis ; remitti eos identidem ad pacis otium, aut necessariam quietem, ut vitæ civilis parte aliquâ perfruantur. Illic nisi utcumque literis exculti fuerint, quantum saken exposcit virorum honestorum, quibus consuescunt, non planè impolita, nec omnino indocta conditio ; patebunt dictenis ludentium illos ut tympana bellica, quibus voce omni pax interdicit, quæque bello tantum strepunt,



& mugiunt; vel ut priscos illos Romanos e-  
quites qui confectis bellis redibant ad colen-  
dum agrum; quasi fera eslet homo miles, quæ  
raptâ ex habitato prædâ, suam se in sylvam  
retruderet.

Victo Perse Paulus Æmilius, & Macedo-  
niâ subjugatâ, victoram illam cum Regni  
Baronibus repetebat, frequenti conviviorum  
apparatu, sed eo tam ingenioso, ut mensa  
campus videretur, in qua se prima discorum  
acies in discubentium oculis explicabat,  
quæ prælio inito pœst impressionem jam va-  
cua & levis, recipiebat sese, novisque subsi-  
diis locum dabat. Mensam tamen constanti  
obtinebant gradu cibi quidam, dum citius alii,  
alii tardius exhausti cederent. Nonnulli oper-  
ris lancibus, insidiosè subibant in pugnam;  
aperto quidam aditu & effronti aggredieban-  
tur, nec erat prælia convivalis minus jucun-  
da materia quam figura. Gratulantibus eam  
Æmilio convivis, respondit eleganter, &  
suâ ex arte: (a) *Eiusdem esse, & armatam a-  
ciem, quam maximè terribilem, & convirium  
quam incundissimum instruere.*

Verum enim verò, si non latius pateant in  
milite doctrinæ commoda, & hos tantum  
ad usus valere possit, ut quis castrenses la-  
bores delitiis urbium mutare sciat, fiatque

(a) *Plut. Sympos. I.*


ex Ajace Bellico so flos elegans ; curta plane est hujus scientiæ suppellex, nec forte melior ignoratione. Quantò suavius ingenium oblectant, & pascunt literæ. Quām brevi, & placidè ferociam indolis mitigant, & illud nescio quod ferum cicurant, atque urbico imbuunt, quod illis ars assueta cædibus & crux, diu infuderat.

Sunt (inquit Cassiodorus) (a) *arma in bello necessaria, in pace decora*, alterum tantum de literis, & verè dixeris, si tempus mutaveris. *in pace necessaria, in bello decora.*

Scholam quotidie duplicem adibat Achilles, alteram in sylvis ubi cum leonibus pugnabat, in specu Chironis alteram, ex quo lyræ modos, & philosophiæ naturalis discebat arcana, ut bello & pace in utrumque paratus, esset hostibus pavendus, amabilis civibus. Quæ fuit pariter Achillis Romani, Scipionis gemina gloria, qui bello fulmen invicti roboris ; pace ingenii clara lux, non minus rapuit spectantium oculos pugnando, quam aures dicendo. (a) *Semper enim aut belli aut pacis servüt artibus* (scribit Vellejus) *semper inter arma & studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercutus.* Rara hæc avis cœlo nostro volat. Miraculo fuerint aures ex tubarum clangore, & tympanis

(a) lib. 7. (b) lib. 1. *Hister.*

panis callosæ, nec ad sapientiæ sensum surda. Paucos reperire est bellatores Herculi similes, qui clavam de olivâ accepitam à Pallade, Mercurio appendant. Quod pauciores, hoc illustriores profecto sunt, qui duabus illis ornantur dotibus, quas nexus divino in iis virtus ususque sociavit, terrore pariter, & *Decore*. Sic eas Cassiodorus nominavit, & classi triremium armatæ, similes dixit esse; quâ classe seu ludicrum navale ludat, negat posse quidquam videri pulchrius; seu seriò agat, fortius, & terribilis.



## I G N O R A N T I A *in divitiis.*

**Q**Uæstum in literis qui rimatur, & Mercurio utitur velut argento vivo aurifaces, ut extracto & adjuncto sibi aliorum auro potiatur, non facile capit quâm sit absurdâ, & deformis in divite, ignorantia literarum. Nam si divitiis abunde instructus sit, quid attinet cerebrum deinceps premer ad exprimendam illam quam nominant, quintam bonæ fortunæ essentiam, hoc est pecu-

ho.o

pq

pecuniam? Parum refert Asinus sit ille, modò  
sit aureus. Dat pecunia honores, & amores.  
Nullis major usquam auctoritas commenda-  
titiis, quam mensariorum literis: nullorum  
clarior, & visibilior atramentum.

(a) *Ingenium quondam fuerat pretiosissus auro:  
At nunc barbaria est grandis habere ni-  
bil.*

Quò tantum philosophantium & scien-  
tiarum, nisi ut tantulo quod residuum est  
boni cerebri, caput exhaustant funditus? Re-  
petite animo antiquos Philosophos; manus  
profectò Midæ potius ad faciendum aurum  
desiderabis, quam philosophorum ad has  
conciannandas Chimæras capita. Quis sibi  
exsculpat oculos, ut perspicacius in obscuro  
cernat, & velit talpa fieri ut fiat aquila? Quis  
factat in mare divitias, ne pauper evadat?  
quis legit suo lari locum, in solo perpetuis  
obnoxio motibus, ut vivat lætiūs in assiduo  
mortis periculo, habiterque domum secu-  
rior, mox in tumulum convoluendam. Ma-  
vult aliud in dolio vivere, ut cubili canis,  
quam ædes incolere. Ardentem hic Æth-  
nam ingreditur; ut originem illorum  
ignium scrutetur tam propedium iis absuma-  
tur.

(a) Ovid.

cur. Ille maris accessionibus extricandis impar, in ejus se fluctus immittit præcipitem, stultamque hujus sui facinoris desperationem æternum celebrandam in posteros transmittit. In centum bestias transformat sese Pythagoras; in gruem Socrates, pede in uno solidum exigens super uno argūmento diem; Anaxagoras in aquilam solem tuens; in sāxum sensu omnino cassum Xenocrates; Zenō in caudicem affectus cujuslibet experiem; in canem Diogenes; in porcum Epicurus; in desperabundum Heraclitus semper lugens; in stultum Democritus semper ridens. *O curas hominum!* quis nolit capite carere potius, quam tot monstra tam stulta, tam insana capite gerere? Et hoc sit esse Philosophum, & literati cognomentum mereri? Rotunditatis præcipuæ, & magnitudinis uniones, quâ utrâque ignari divites prærogativâ gaudent, inestimabili apud omnes habentur in pretio. Bos, esto, sim mutus; aurum me facite, & Deus fio. Hanc apotheosin iniciavere in deserto Hebræi sacrilegi: viget etiamnum ejus usus, vigebitque post nostra in ævum, ni fallor, tempora.

Hæc est multorum philosophia, quam per ludibrium occident literatis, præsertim famelicis & paucosis. Vellem vice versâ, si tantum ingenio valerem, iis reponere defor-

mes vultus divitis ignari : prorsus ille à nobis pari horrore spectaretur , quo pictoris Orgagnæ suorum temporum principis spectata est olim Medusæ tabula, deformitatum quascumque nancisci potuerat, diligentissime docetissimeque collectum apographum.

Spartani suos ab otio & delitiis aversuri, Reip. illius severæ duabus pestibus , conventum indixere , in quo productum in edito Naclidem populo ostentârunt. Erat Naclides saginâ fartus, adeps totus & totus venter. Quid multa ? damnationis ejus causam crassâ illa obesitas peroravit. Iudicatus est illam pingui, & inertî otio parâsse ; proscriptus est , urbèque illâ pulsus ; in qua reus & cunctis damnosus habebatur, quisquis sui unius incumberet commodo. Statuamus coram in medio divitem ignarum : frustum videbimus Lydii lapidis. Auto argentoque probando nihil doctius : digitis duobus sentit legitimum, & distinguit à falso vel adulterino, de cœtero saxum est. Spongia est tota oculata, & tota os undique adsubgendum, verum adeò sensu carens, ut ignoretur, an sit animal, & vivat. (a) Induamus eum lineis, sericis, purpureis vestibus, quascumque Palæstina, Sinæ, Tyrus, Calabria, elabo-

(a) *Lucian. in Demonas.*

elaboravere pretiosissimas, & huc se quidam  
**Demonax** penetrans, roget ( illa, Domine  
quâ splendes lana, tegebat opinor anteà pecu-  
dem; ob hoc humeros tuos tam concinne  
ornat, seque tibi tam lepide utique applicat,  
rata sibi mutatum dominum non eruptum:  
Ut verò quo tintæ est, vivax purpuræ repeti-  
tusque color nihil vetat quominus lana sit, &  
quidem pulchrior, & pretiosior; certè non  
facit os hominis quod præfers, quin sis ani-  
mal mutum & stolidum, quanquam pili al-  
terius, & formæ honoratioris. ] quid respon-  
sarus sit Demonacti, dives beatulus?

(a) Addo ex Seneca, ut inducamus eum  
in palatium luxu regio instructum, & amoe-  
nitate ruris, ac rerum omnium magnificentiâ  
superbum & elegans; qui dominum nōrit,  
prætereuntium nemo non illi dicturus sit,  
quod de Vatiâ quodam, otiosam & ignoran-  
ter languidam in campestri palatio vitam a-  
gente, nonnemo, *Vatia hic situs est.* Nempc,  
*vivit is, qui se uititur.* Nec caput ventris ob-  
sequio mancipat, sed ventrem capiti; cui re-  
fovendo, animandoque idonea parat ad hu-  
mana non pecudum opera, spiritus purgati  
subsidia. Alioqui ( pergit ) qui latitant, &  
*serpent, sic in domo sunt, tanquam in conditorio.*

*Horum*

(a) *Senec. ep. 55. 6. 6.*

*Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam anteceperunt.* Hanc illiterati divitis indolem acutè perspexerat Atheniensis ille sapiens in paucis Themistocles, qui sorori suæ pauperi, & ipse pauper virum quærens, paratum eam ducere hominem opulentum, sed qui literas duas in numerato non habebat, rejicit ; & Fortunæ illius aurez munus sprevit, quod Fortunæ munus pars magna civium non arripuit; modò, sed etiam totâ hecatombe Pythagoræ gratias egisset maximas tanti beneficij authori Deæ. Hoc verò suum Themistocles præclarum addò facinus pretiosiori divitis illius opibus dicto est prosecutus : *Quaro, inquit, virum, qui indigeat pecuniâ, non pecuniam qua indigeat viro.*

Hic ego clausurus hoc caput, mihi non possum imperare, quin familiis quibusdam effusè gratuler, in quibus non tam jachæreditario pingues divitiæ, quam fidei commissio literæ in seros nepotes sic à majoribus transcribuntur, ut perinde ac in nidis aquilarum, suspectæ originis habeatur, qui vivacem ingenii oculum, Soli tuendo parem, nascendo non tulerit. (a) *Degener est qui lumina torstu.* In iisque non solum avulso uno non deficit alter

(a) Cland. Virgil.


*ter aureus > Sed nunquam desunt, qui fragem,  
qui flores, qui frondes edant; & etatis gra-  
dus, doctrinæ gradibus adæquent discendo,  
fruendo & docendo.*

Pulchrum illud quondam Lacedæmonio-  
rum, qui tres in choros divisis ætatis, statim  
per annum solemnia saltu simul & cantu de-  
corabant: ac senum quidem illud erat car-  
men, *nos fuimus fortes, virorum autem,* &  
*nos modo sumus;* adolescentium denique, &  
*nos erimus aliquando.*

Qui par huic synphonizæ concentus? cùm  
avus filius, & nepos sua de litteris referunt e-  
gregia merita, honorum gradus, atque iusli-  
gacia; & avus quidem, illud emeritam voce  
gravi depromit, *fui.* Secundus harum splen-  
dore literarum, ac notis illustribus tunc flo-  
rens & insignis succinit, *sum.* Tertius sui cer-  
tam spem faciens addit, *Ero.* Ut possit etiam  
aliquandò jactare, *sum,* & *fui.* O præclarum  
familiaæ stemma, & consertam auto atque a-  
damantibus seriem posterorum! quorum sunt  
dives & pretiosum patrimonium, omnes  
thesaurus infinitus.

• 205. • 206.

IGNO-



**IGNORANTIAE PUDOR,  
inter eruditorum sermones  
mutæ.**

¶ Ngenii pabulo & voluptatibus eruditis quibus oblectantur literati, dum mentem exercent in perspicientia veritatis, oppono id ultimum, triste, & inhonestum silentium quod ignorantia imperat, ubicumque sermo inducitur, qui hominem deceat. Ignarum pudet utrobique, tacere, vel loqui; ut quem silentium accuset inscitiae, sermo damnet. (a) Picturæ rudem Alexandrum, in Apellis schola, pro scite contractis mutila, pro umbris maculas, errores pro arte laudantem, risere tacite pueri pictores. Miseri omnino sunt homines ignari, qui non alium in cœtu doctorum habere possunt locum, quam eum, quem vocales inter mutæ consonantes obtinent, & inter citharae fides ex quæ dicuntur falsæ, quæque nihil sonant nisi dissionum. Aures habent illi, sed ad pedes procul à capite, ut Dionysius tyrannus. Quapropter res tantum infimas & abjectas auditu percipiunt, & habent argu-  
mento

(a). Plutarch.

mento cuivis nobilis intelligentiae impix caput.

Ut autem sonantiū vasa respondeant, quæ fuerint vacua, sic fit, ut parciū donatis judicio verba profluant abundantius; & ii magis avi di conciliandæ sibi opinionibus, quā docti putentur, quām cauti & solliciti tegendæ silentio ignorantiae, de iiis quorum sunt plane rudes, multa deblaſſerent. Quo quidem id affequuntur, quod Neanti evēnit, qui se per suasus alterum Uraniæ filium, furtim Orphei lyra ē templo Appollinis direptā, intempeſtā nocte apertum prodiit in campum, ut natu ram haberet pereā silentia, suos ad cantus otiosiorem. Illic ut cœpit infelix instrumentum, manu hebeti, & rusticā pulſare, nulla fuit chorda, quæ non, hei mihi, occineret, & voce quā poterat non vibrari ſe leuiter ad numeros, ſed acerrimè vexari quereretur: ergo Orphei lyra, ſi unquam alias, jure truncos & faxa moviſſet in Neantem, niſi excitati ſtre dore incondito moloffi *afinamque ad lyram ex cantu odorati*, Neantem pro asino laniarunt. In quo ſi minus fuit Orpheo ſimilis suavitate cantus, atrocitate mortis certè extitit enim iium ſimilis. Mitiū ſed ore plurium lacratur absurdorum cantatrix & parens, ignorantia hominum illiteratorum, dum ludus erat, narrantibus, & latè ridentibus inepit.

quæ passim ponunt, quæ stultè concludunt, quæ tuentur audacter, atque impudenter pro magnificis venditant. Incideris fortè aliquando in ejusmodi doctorum pat beatum, ver- fantium inter se quæstionem, ut sit, aliquam aut problema; tibique haud dubiè in men- tem venetit Demonax, qui disputantibus ma- gnâ voce, alteri nihil ad rem ponenti *mulges tu quidem capram, aliotri extra rem longius etiam respondenti, tu vero, inquit, cribrum illi pro multrâ subjici.*

Miserum magis an ridiculum est? audire quæ elucubrârint prolixis distincta paginis, & plenis conferta marginibus, ita quibus nul- la sit linea, quæ argumentum à centro non ab- erret, nulla quæ propositum tangat, ut illic appositi videatur facturus fuisse Diogenes, quod fecisse fertur aliquandò, cùm in scopum concessit, ut esset gatus à sagittario, cuius nec una de centum sagittis ad scopum proprius accessit.

Hoc autem si quis neget stupidi esse, pror- sùs ingenii, & extrà communem hominum dicendi facultatem; institutum sermonem multas in horas ita producere, ut nihil ex insti- tuto, nihil ad rem & propositum dixeris; Audiat Gallienum Cælarem, in re haud absi- mili sententiam dicentem. Is enim redux è venatione celeberrima, victorem illum dixit, qui

qui taurum ingentem, decem lanceis petitum  
 è propinquo, præterierat intactum. Et verò  
 coronam illicò ad eum misit, adjecitque hoc  
 & tanti Imperatoris sapientiâ, & tam impe-  
 riti sagittarii dexteritate dignum encomium,  
 peritiorē illo censendum neminem. Hastis e-  
 nim ad usque decumanam, tanta molis in sco-  
 pum, tam propè collineare nec tangere, facinus  
 esse quod nemo mortalium fecisset. His vetò in-  
 super si hoc infortunii accidat, ut in sannas et-  
 iam posticus reflectant oculos, quibus vice  
 plausum celebrantur, quos illitam scienter  
 deperibant ; projectionis quidem audaciæ  
 nonnullos, subit dolor iratus, & amaror im-  
 pudens, fatale enim verò esse virtuti ajunt ha-  
 bere invidos ; ex luce gloriæ umbras nasci ma-  
 lignas ; ex laudum merito maledicentiam,  
 velut ex triumphantium curru mancipia. Mo-  
 destiores verò trivialibus excusandæ inscitiae  
 formulis, onus fatentur iniquiùs humeris sub-  
 limitatem materiæ Atlante dignam, suis viri-  
 bus graviorem. Faustulum dices formicâ  
 excussum in qua equitabat, reponere circum  
 ridentibus etiam Phaëtonem simili præcipi-  
 tatum casu.

Faustulus insidens formicæ ut magno Ele-  
 phanto

Decidit, & terra terga supina dedit.

F 2

Moxque

*Moxque idem ad mortem est multatus, cal-  
cibus ejus.*

*Perditus, ut posset vix reparare animum  
Hic tamen est situs; quid rides improbe liuor?  
Quod cecidi: cecidit, non aliter Phaeton.*

Ab hac autem excusatione, quâ sibi dum perplacent risum colligunt alienum; sejungi non possunt dictoria, & sales quibus asperguntur etiam dum tacent, homines quidem habitu literati; cultu verò expertes literarum; titulis interdum Thalete doctiores, cœtera vox, præterea nihil. Nobilitatus Herculis humeris Nemæus Leo, nunquam adeò viuit, ut cum illo induita est fœmina. (a) Credo, q̄ jubeas pectinem passas ne cervicem eneruem incurreret stiria leonina. Hiatus crinibus insartos, genuinos inter antias adumbratos totâ oris contumeliam mugiret si posset. Nemea certè (si quis loci genius) ingemebat, tunc enim se circumspexit Leonem perdidisse. Sic literatorum abollas maiores & titulos, charæcteres, & notas illiterati dedecorant, sortem suam infaustam lugentibus tot clari honoris insignibus, quod sint perpetuò damnata mendaçio, & Leonem præferant pro caballo. Quod genus homines eleganter sane & acutè Lucianus

libro

(a) *Tertul. de pat.*

libro similes pronuntiavit exterius culto,  
splendido, pretioso, & aureis gemmatisque or-  
nato umbilicis; at verò interius albis vacuo fo-  
liis, & omnino literarum experti.

Quam multos videoas hujus farinæ sapien-  
tes, tumidos, superbos, tanquam globos ad  
perfectam geometriam exactos, vix uno ter-  
ram contingentibus puncto, adeò summis dun-  
taxat pedibus eam libant affectatae, quā carent  
doctrinæ specie planè ridiculi. Qui ubi cir-  
cumspexerint, quam præbent sui pompa,   
Bucephalos putes, ephippiario stragulo tam  
gloriosè fulgurantes, ut tangi nisi ab Alexan-  
dro nolint.

(a) Talis homulus fuit in quem salse jo-  
catur Lucianus, qui, quod hodieque non pau-  
ci factitantes scientiæ suæ censum prædivitem  
de numero æstimabat authorum quos habe-  
bat, & multos, & doctos; velut pretiosum  
quod servaret in obturatis ampullis philo-  
sophorum ingenium, & posset cum luberet, in  
suum cerebrum sugendo transfundere, toti-  
demque illic componere bibliothecam libro-  
rum, quot suis monstrabat digestos in pluteis,

(b) Sic apud desidiosissimos videbis, quicquid o-  
rationum, historiarumque est; Et tecto tenere

(a) Adversus indoctum. (b) Senec. de  
tranquill. c. 2.

*Character Hominis literati,*  
*extructa loculamenta:* Sed hoc perelegans stu-  
 dium, exutiendi pulverem codicum, nullâ  
 interim adhibitâ operâ ad deradendam inge-  
 nii rubiginem, membranarum amorem vocat  
 Sidonius, (a) literarum nequaquam. Hinc  
 verò redit illa scilicet egregia laus, ut hospite  
 ac domino suo fiat domus ornatior & specta-  
 bilior. Quod certè quidem abundè olim asse-  
 cutus est Atchelaus, cùm ejus palatum Zeuxis  
 tam rarâ manu, & excellentibus picturis or-  
 nasset, ut concurreretur undiq; spectandi pa-  
 latii gratiâ; spectandi gratiâ Archelai, pedem  
 ( inquit Socrates ) moveret nemo. (b) At  
 quid dulcius libero, & ingenuo animo, & ad ve-  
 luptates honestas nato? quam videre plenam  
 semper, & frequentem domum, concursu splen-  
 didissimo hominum; idque scire, non orbitati,  
 non officii alicuius administratione,  
 sed sibi ipse dari.

— 6 : † : 9 —

PARS.

(a) lib. 4. Epist. (b) Aelian. lib. 14. Hist.  
 Quintil.




## PARS ALTERA:

**L**iteratorum vitia periniquè conjiciuntur in literas, nec debet rei cuiusquam naturæ attribui, quod ex pravo solum proficiscitur ejus usu. Solem inficiunt Horizontis fôrdes; Lunæ maculant globum, repercussæ ex terra expirationes ( si qua errori fides;) stellas motu jactatas perpetuo, acris vapor nobis repræsentat. Ergone Sol propterea squalidus, maculosa Luna, stellæ instabiles? nihil est tam innocens, quod aliena culpa reu non faciat si pravos in usus deducatur. Cru delitatis officina est bellum; ambitionis columen sceptrum; lasciviarum illecebra, formæ decor; luxus adminicula divitiæ; superbiæ pabulum honores; conciliatricula fastus nobilitas. Quid attinet plura percurrere? cum ipsamet sanctitas, in usus deflectatur fictæ probitatis, & vera religio privatarum fiat famularationum. Non damat igitur literas, usus præposterus cui coguntur famulari, ut nec floris pulchritudinem aranei, qui venena

**e**x iis conficiunt. Quod si literæ, ut sunt lux mentis germana, & propria, sic iliid etiam de luce retinerent, ut ex Patre profectæ radios haberent minimè à vero & bono flexuosos, sed instar lucis è sole progressæ rectos semper, & quocumque ferri oporteat recta propagandos; quanto feliores ea tūm forent, quanto mundus iis beatior?

Sed cum & hoc optare parum sit, & immodicum sperare, mihi sat fuerit indicasse, ubi sit usus litterarum, tūm nocentior, tūm aliis vulgò, tūm verò etiam iis perperam utenti, quæ mihi hujus mali duo capita selegi, ad exstimalandum eorum emendationem, quos hoc vitio laborare contigerit.



## F U R T U M ,

*Qao astu multiplici fructum laboris  
alieni sibi vendicant non pauci? ]*

**A**rs antiquissima furandi, cgestatis filia, sed adoptione in commoditatis familiam transcriptā, officio suo handquam segnius in re literaria, quam in argentaria fungitur.

Tam

Tam altè Clemens Alexandrinus ejus originem repetit, ut non priùs ingenia suas opes proferre cœperint, in publicum commodum, quam fures in privatam ad diripiendas illas unguies exercere. Formosas vix Helenas lux ista viderat, cum centum illicò Menelai, & centum Parides, eārum raptui institere. Nec apud me tantū, (ut jocum Comici torqueam) homo trium literarum, hoc est literis ægrè tinctus, artis hujus tenetur manifeste reus, & alieno amat dives ac splendidus clarere: præstantissima quæque ingenia, consecravere hanc industriam rei alienæ tam facili usurpatione, ut non verè minus de leonibus, quam de formicarum legionibus dicatur.

*Convectare juvare pradas, & vivere rapto.*

Aristotelem fama est, opere inusivo, arté que incomparabili elaborasse suos libros; eorumque materiam ex diverso plurium dominorum eruderasse solo. Quod si Speusippus quem tribus emisse fertur talentis; Democritus & similes alii, quorum divitibus monumentis locupletabat ejus Musæum & stylum Alexander; postliminiò suum quisque ab Alexander repeteret, quis non videt illum, ex Phœnicie qualis tunc erat, in corniculam de-

situm? Audivit Plato ex ore maledici fut  
es, nomine Philolai, ex quo suum Timæum  
non exscripsérat quidem, sed saginaverat eru  
ditione, ex libris aliquatâ novi illius Pytha  
goræ; quod sic breviter fugillat Timon :

(a) —— *Exiguum redimis grandi are lî  
bellum.*

*Scribere per quem orsus, perdoctus ab inde  
fuiſti.*

Si foret aliquis Archimedes, qui nosset in  
libris subtili oculo furtiva metalla, & legitima  
inter se distinguere; si Aristophanes qui lin  
guam calleret mortuorum ex ore sonantem  
viventium; si Cratinus qui libros in equuleo  
distentos sua compelleret fateri furta; ut fecit  
in Menandri poëmata, ex quibus furorum  
composuit libros sex; profectò nobis evi  
dentiū nihil foret, quam esse Mercurium non  
minus furandi, quam literarum Deum.

Cæterū videtur eorum Respublica, qui  
suo nomine labores edunt alienos, tribus or  
dinibus optimè comprehendendi, quorum esta  
lius alio nequior, & odiosior. Primi ex variis  
hinc indè passim collecta scriptoribus, novis  
rum titulis; tum paginis, mutato plerum  
que & inverso ordine ita committunt; ita  
libros

(a) *Gell. lib. 3.c.17.*

libros ex iis texunt; ut ex plurimis furtis, quæ seorsim modica sunt, confletur unum aliquod & ingens totum sanè exquisitum & elegans; ex multis undeque lectis floribus corona pulcherrima instruatur. Unde fit, ut cum ex unoquoque nonnisi paucissima suffarentur, injuriam nullus doleat, pauci advertant.

Horum nomen grandi charactere libri frontem magnificè obtainens, tot se patrem pudet videri filiorum, quorum novit ad se spectare neminem, sed nec iis fuisse prognendis parem.

(a) Miraturque novas frondes, & non sua poma.

Stupet se pro divite haberì, cum in re, accessu nihil habeat, quo sibi vel partem afferat possessionis tam honorificæ.

Sed habet pro arcana lege natio hæc literatorum furacium, ut ignorare se fingat auctores ex quibus prædam agunt, ne suspicionem aliquam furtorum suorum moveant. Itaque Plinianum illud oscitanter legunt, (b) obnoxie animi, & infelicitatis ingenii esse, deprehendi in furto malle quam mutuo reddere; cum presertim fors fiat ex usura. Neque ad illum etiam satis advertunt

(a) Virgil. (b) In pref. oper.

vertunt priscum morem, quo refert Varro folitos semel quotannis puteos ob subministratam abunde toto anno aquam, floreis & fragrantibus sertis coronari.

Illud quin etiam velut sacrum habent, & supremum artis suæ caput, ut eorum carpant lucubrationes & tanquam indoctas contemptim vellicent, ex quibus fuito deraferint, quicquid boni, & docti edidere, ut eo illarum mendaci fastidio persuadeant, se nihil ex eis dignatos attingere.

*Monte decurrentis velut amnis imbreis,  
Quem super notas aluere ripas.*

Rapit, sorbet, conditque in sinu si quid est solidum; stirpes tantum & paleas, & quidquid est sordium ostentat, palamq; omnium oculis objicit. Sic Harpyæ, quadris alienis ingurgitatâ fame, mensatū reliquias foodâ proluvie inquinabant. (a) Sic quod ridebat Diogenes, emungebat amicos Dionysius tyranus, dum pretioso turgerent balsamo, vacuos in modum testæ inutilis confringebat. Sic in Sicilia propè Pharum frangebat naves scilla; Charibdis fractas cum mercibus, & nautis sorbebat, nec enim hi merces damnant alienas ut reprobent, sed ut diripiant, (b) nec expununt naufragia, sed devorant.

Proba

(a) La dert. (b) Tert. de pal. c. 3.

Proin sibi propriè dictum velint, quod in re dissimili Plutarchus, rectus morum arbiter edixit; *Non debemus suffurari gloriam eorum, qui nos in altum extulerunt, nec esse ut Regulus Aesopi, qui deseruit Aquilam, cum ea lassa ulterius non potuit volare.*

Dixi de prima furum classe. Sequitur altera multò pejor. Hanc efficiunt quidam nimium fortunati, qui nacti, quā sorte nescio, excellentium auctorum opera posthuma, sed nondum ultimo doctrinæ, & ingenii conatu perfecta, teneritate Ossifragæ Aquilæ, pullos aquilinos nido excuslos levant, & implumes, & velut abjectos domi alunt, in suos denique adoptant; ignorantiae pudore, furti adhuc latentis probrosam infamiam superante frustraque illos Synesius admonet; (a) *magis impium esse mortuorum lucubrations, quam vestes furari, quod sepulchra perfodere dicitur.*

Proh quanti! si caput sepulchris attollant, & videant laboriosas suas facultates, in hæredes injustos transfelle exclament, nisi vox hiantes frustretur, quod pastor Mantuanus.

*Insere nunc Melibæe pyros, pone ordine vites.*

Quam decorum illud in Græcia, magnis & modestis pictoribus solemne, ad honoran-

G dum

(a) Ep. 141.

dum eorum memoriam qui excelluissent in ea arte, ne quis penicillum in tabulis duceret, quibus manum auctoris ultimam mors præripuisset; quo significabant, inchoata illa, & mutila conceptorum operum rudimenta, esse absolutis spectabiliora. (a) De quo Plinius, illud, ait, *per quam rarum, ac memoriam dignum, etiam suprema opera artificum, imperfectasque tabulas, sicut Irim Aristidas, Tyn-daridas Nicomachi, & Venerem Apellis, in majori admiratione esse quam perfecta.*

Verum tantæ lege modestiæ, ac fidelitatis, quotus quisque se putat in re literaria teneri? usque adeò laudis quæ ex fama ingenii nascitur vasta cupiditas se effert, ut rapaces manus injiciat in aliorum labores imperfe-tos haud quidem auctorum nomine absol-vendos, sed sibi per summam injuriam suæque industriæ afferendos.

(b) Qui thesaurum in suo invenit, totum sibi habeat, jussit Hadrianus; qui in alieno, cum fundi domino dividat. Præclarè omnino, in re nummaria sanctum, quod sit tamen in gaza ingenii, & literarum divitiis æquius.

Tertiū demùm furantium ordinis tolerari frons impudentissima non potest, est enim hoc iis singulare, ut eruditis aliorum laboribus nihil addant præter nomen suum. De

Leo-

(a) *Plin.l. 13.c.11.* (b) *Spart. in Hal.*

**L**eone pellem circumferunt solum, & ostentant primæ videlicet paginæ generositatem, cœtera omnia, sua esse jurant, quasi majoris non sit negotii, auctorem se libri facere, quam templum, Deorum cuiquam dicare, cujus nomen sit satis fronti præfigere. Quid ausa est turpius illa Imperatorem induita bestia, princeps Caligula, cum præciso Jovis Olympii capiti suum substituit? ut pro illo exinde coleretur. (a) Nullum fuit Persis peccatum gravius quam ære obstringi alieno; secundū huic nulli mendacio parcere, neutrum hi possumunt à se defendere, alienum est quod tenent, & ignominioso mendacio id tenent & vindicant.

Fuit tamen in iis qui manifestè deprehensus dum expectaretur furtum verecundiâ saltem velaturus, quod mendacio nequibat, fronte liberâ, ut erat manu promptus à de-pulsioni criminis audenter gradum legit, illamque prætendens sympathiam quam consensionem explicamus, tanto à quibusdam tumultu jactatam, negavit de furto alienarum lucubrationum, posse sibi quicquam penitus imponi, nisi prius certò probaretur dissensiōne animi ab iis laborasse, quos expilasse diceretur; duorum enim consonam indolem, & consensum ingenii naturalem, vi nexus sympathici hoc habere, ut iisdem ferantur animi

G 2.

moti-

(a) *Plutar. de vit. are alien.*

motibus, eadem cogitarent, iisdem gauderent inventis, eidemque insisterent eorum dispositioni. Causam aliqui Keplerus, Mersenius & Galilæus occultam mihi prodant, cur duæ fidium in soni unius numerum æqualiter in octava ex quinta ita consentiant, ut si una tangatur, subsiliat altera, & vel intacta moveantur. Est hoc problema, ut quodvis aliud, nodi omnino difficultis, si præsertim ingenii inter se consonis, negemus inesse vice fidium musicarum vibrationes illas ad normam exactas, quæ dum in harmonicos incident perfecti concentus numeros, similem motum cedant; in quo errant qui putant, vibratione impulsu aëris moveri fides, cum tremore sonori corporis communicato moveantur. Sed est ut dixi hoc problema cui nullus sufficiat Oedipus, qui possint duorum inter se capita consensu sympathico, & sponte naturæ ita concurrere, ut in ejusdem argumenti deletum incident; iisdem illud & figuris & verbis explicent, nec utravis in parte apicem ne dum syllabam mutent, voce demum statuâ, conformatio[n]e totius operis adeò similes, ut nec Plautinis cessuri sint menechmis.

*Ita formâ simili pueri, ut nutrix sua,  
Non internosse posset qua mammam dabant,  
Neque adeò, mater ipsa qua illos pepererat.*

*Fecit*

Fecit horum furtorum ambitiosa dexteritas auctores egregios in custodia suarum compositionum prope Zelotypos, iis vero furtim spoliatos in querelas egit sempiternas. Animantes natura docuit, quod edunt pretiosissimum, & summè jucundum, hoc tantò solertiùs à furum unguibus tueri, quantò ab iis impotenterius captatur, conchas claudit pinna margaritaria, ut se primâ luce deprehendit. (a) *Cum manum videt ( tametsi cæca est ) comprimit sese, operitque opes, gnara proper illas se peti, manumque si preveniat acie suā abscindit, nullā iustiore poenā.*

Apes succis amaris alvearia oblinunt, (b) contra aliarum bestiolarum aviditates, id se facturas conscientia quod concupisci possit. Sed quia nihil est deterius latrone nudo.

(c) Et hosce Mercurios Argi centum haud satis caverint, hinc illas tot auctorum querelas, quibus verè complures sua sibi asselerere contenderunt. Est prorsus in iis & patientia minimè facilis, & dolor maximè acutus: nam & æteræ statuæ, nocturnis pulsatæ latronum securibus, esto sensu doloris careant, sed gemunt sub ictibus, (d) nec in toto muta sunt, quando à furibus percussa, custodes videntur tinnitibus admonere. Pono tamen hic verbis

G 3

duo-

(a) *Plin.l.9 c.35.* (b) *l.11.c.6.* (c) *Mart.*  
(d) *Cassiod.l.7.form.21.*

4

114      *Character hominis literati,*  
duobus, remedium duplex famis hujus **caninæ**, aliorum laboribus tuūpiter inhiantis. Primum nullus est usquam forensium cognitorum rudis & ineptus, quin illi publica seu fama sive infamia; quin testes atque indicia, quandoque tandem furtum probent. Nullâ itaque spe latendi audeas, quod nunquam diu latere poterit. Verte sis omnia in diversam, & partem & ordinem ab ingenio auctoris in tuum; et si fueris Cacus, non deerit Hercules, qui prædam aversis tractam vestigiis, in spelæo tuo inveniat, producat, fraudem publicè damnnet, & puniat. Ipsi tibi, ne dubita, vel ore vel stylo aliquid excidet, quo te catus quivis, & nasi sagacis, furem tacitus credet, & palam clamabit; in quo nec satis corvi stultitiam vitabis, nunquam adeò cautè dissimulantis raptam prædam, quin cruento etiam tum rostro, insanum crocitet, velut in se pastores fundibularios accersat:

(a) *Nam tacitus pasci si posset corvus, haberet  
Plus dapis, & rixa multo minùs invideaque.*

Ac ut ipse callidè taceas, tuæ te damnabunt  
paganæ, furti causam contra te liber tuus tuo  
cum dedecore perorabit: quâ fiduciâ Martialis,  
spernebat eorum vanitatem qui Epi-

gram-

(a) *Hormæ.*

*Plagiariorum Furtæ, Pars II.* 115  
grammata ab se composita, pro suis vendita-  
bant, imò & vendebant ; omissisque illorum  
prolixis vindiciis, ajebat :

(a) *Iudice non opus est nostris nec vindice libris,  
Stat contra, dicitque tibi tua pagina fures.*

Alterum est, certò habeas persuasum, ma-  
lum esse tolerabilius indoctum censeri, quam  
furto alieni notam ignorantiae vitare. Si tibi  
caput obtigerit, nudum capillis qui speciem  
referunt doctorum cogitationum, ne te ni-  
hilominus sollicitent mortui qui caput reti-  
nent capillatum, ad concinnandam tibi ab iis  
cæsariem :

(b) *Calvo turpius est nihil, comato,*

Præstat suo egere, quam esse divitem alie-  
no, sapitque dulcius profitenti, meum hoc  
est quantulumcumque est, quām illud mag-  
num & invidiosum sed non meum. Nullum  
æquè carmen suo in Poëmate Manilio arrisit,  
ut liberum illud :

(c) *Nostra loquar, nulli vatum debebimus orsa,  
Nec furtum sed opus veniet.*

G 4

Scri-

(a) *lib. I. cap. 54.* (b) *Martial.* (c) *I. 2. .*

Scribe tu quoque adeò confidenter, ut in fronte tuarum compositionum, illa non obscurè intelligatur Epigraphe, quam in suarum ædium janua Ariostus Poëta semper voluit inscriptam eminere :

*Parva, sed apta mihi, sed nulli obnoxia, sed  
non  
Sordida; parva, meo sed tamen are domus.*

—•————— : ————— : —————

**NIHIL ESSE AB ALIIS**  
*auferendum, sed novi aliquid de suo audendum, & cogitandum.*

**S**i tantum valeret apud eos qui scribunt, docti spes nominis ad sollicitanda eorum ingenia, ut suis inventis posteros augerent, quantum valet ad eorum ungues in alieni expilationem acuendos ; multi quorum sunt cum furtis proscripta nomina & decus, immortali clarerent gloriâ: Esset planè literarum proventus lætior, & fructus uberior annorum quos bona ingenia plurimos, scriptitando incassum absimunt ; si omissione vili cahete mutandi quadrata rotundis, & quæ sunt

Sunt artificiose contracta penicillo in nudam speciem evolvendi ; contentiones omnes conferremus ad locupletandas novo aliquo invento scientias, quod majoribus ignorum, vel prodebet posteris, vel placeret. Una styli hujusmodi pagina, sat esset plausibus obtinendis, quos crassa saepe volumina irrito ambitu mereantur.

Illud quinetiam inventorum novorum curiosius studium, tametsi ex voto non procedat, suâ nihilominus non caret laude, quia utili non caret. (a) *Plurimum enim ad inventendum contulit, qui speravit se posse reperire,* & quem generosæ stimulant cogitationes, is mavult sibi per se, viam in Cœlo, sudando tentare, quam ponere, alios in terra subsequi, avens illud cum Poëta, fronte non timidâ profiteri ;

(b) *Libera per vacuum posui vestigia Princeps,*

*Non aliena meo pressi pede.*

Nam etsi volatum molienti, pronior est casus, quam humi securè incedenti : sed illud denique, *Magnis tamen excidit ausis,* tam gloriosum est, ut tentati volatûs magnanimitati,

G 5 caden-

(a) *Sen. l. i. nat. quest. cap. 5.* (b) *Horat. ep. 19.*

*Character hominis literati,  
cadentis, si quod est, dedecus longè cedat; hab-  
bētque nunc etiam audentis Icari confidens  
ad stellas ascensus, multo plures tam celsi ad-  
miratores consilii, quam præcipitii derisores:*

(a) —— *Struaque innixus arator  
Vidit, & obstupuit, quique a shera carpero  
posset,*  
**Credidit esse Deum.**

Ego tritam dum cerno, & regiam viam æ-  
grè à lapsibus, aut offendiculis sat tutam; quod  
multis in rebus scire nostrum, credere magis  
sit, quam scire; & cæcutire magis in nostris  
erroribus quam iis carere; idem in literis,  
cum Senecæ amico libenter ~~Id~~ fero si caden-  
dum est mihi, Cælo cecidisse velim.

Optarim nostra ingentia, cum nostris stu-  
diis perinde transigere, ut suis cum pullis A-  
quilæ: plumis enim & aliis parum adhuc ad-  
volatum firmos nido pellunt, & in venatione  
mittunt. Estis demum exinde Aquilæ, nec de-  
inceps implumes; & nidum fovetis ignavæ?  
valetis rostro, & unguibus, nec pudet buccel-  
lam tanquam pullos hirundinis capere? ite,  
venamini, victum rapto parate, ad hoc vobis  
arma in promptu sunt, ad hoc Aquilæ estis.

Quic-  
(a) *Metam.* (b) *Vagell. apud Sen. natn.  
q. l. 6. c. 2.*

Quicquid in literario labore, ad inventio-  
nis alicujus non pertineret novitatem, damna-  
bat Hippocrates, tanquam longè ab scopo ab-  
errans, in quem decet tendere literatos. Mor-  
tuorum scriptorum vetabat colligi analecta,  
*Quasi bona naufragantium*, sed jubebat pro-  
vehil longius in quæstum novarum mercium,  
quibus & mundus ditesceret, & celebraretur  
quærentium gloria. (a) *Mibi verò invenire*  
*aliquid eorum que nondum inventa sunt; quod*  
*ipsum notum, quām occultum esse præstet: scien-*  
*tia votum & opus esse videtur.*

Quot ab rerum novarum indagatione ex-  
cepit ea laus, ut invenisse dicerentur, quod  
nunquam priùs quæsitum fuerat. Ardor in-  
gens ducendi ex vilioribus metallis auri, quas  
in artes ingenia, & curas non acuit? ex quibus  
ad ultimum illa erupere naturæ miracula,  
quæ nunc avidè chymicos occupant. Nam  
quæ illos deinceps Philosophiæ naturalis la-  
teant fundamenta? dum eorum initiis, poste-  
riorum non desit industria, qui de comperta  
rerum experientia regrediantur ad primas ea-  
rum origines. In quo idem prorsus iis conti-  
git, quod invenibus Æsopi, quibus moriens  
pater significaverat sepultum à se in agro  
suo aurum. Illi magno labore dum aurum  
quod nusquam erat, quærerunt effodere, agrum

G 6

ubique

(a) *In arte initio.*

ubique sic totum versant & subruunt, ut pinguisimus & feracissimus ex sterili fieret, & aurum quidem quod frustra quærebatur non redderet, sed messem auro tanto æqualem. Non fecit effœtam veritatem Doctrinæ copia quam nostris majoribus peperit innumerablem, (a) *Etiam quicumque sunt habiti mortalium sapientissimi, multa scisse dicuntur non omnia.* Incredibili licet vertendorum codicim assiduitate, nec piscationem gemmarum exhaustere, nec meditando spem omnem nobis abstulere inveniendi semper aliquid quod ipsi non viderint. Magni viri, non nego, sed non totidem fuere Hercules, qui metas naturæ, vel reperere jam positas, vel effectis columnis posuere, adscriptâ illis ad mortales omnes edictione, (b) *Non plus ultra.* *Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum in illa etiam futuri relictum est.* Nolebant Spartani ditionem suam ullis aut montibus aut fluminibus circumscribi, sed iis dumtaxat spatiis extra quæ hastam non possent jacere. Non impar iis est bonarum artium amplitudo; eò usque tendit ac porrigit se, quod potest ingenii vastitas, velocitasque pertingere. Nullo est hic opus Alexandro sexto qui ductâ per insulas promontorii viridis utrumque in polum lineâ, navi-

gatio-

(a) *Columel. de se rust. in fine.* (b) *Ser. op. 33.*

gationibus in Ortum. Tentarunt veteres hanc lineam ducere, Græcam inter, & Latinam Poësin, transfilivit eam Horatius, & lauros Atticas Romanis connectens, Latinâ cyathâ Græcum lyricum cecinit. Improbare seniores spuriæ (ut vocabant) Musæ partu.n, & monstrum Hybridis. Adscito ipse in plectri vindicias stylo , defensioni propriæ dum incumbit, malignitatem alienæ vulgat invidiæ. [Enim verò ut suas odissent lucubrations non tam elegantiaæ antiquæ studio fieri, quā recentis suæ invidâ æmulatione, quâ seipsoſ inscitiæ damnabant, cogebanturque cum pudore à juvene discere, quod ipsi natu grandiores non potuerint invenire. Hunc suis æmulis unum esse malevolentis in ſe animi fontem.]

(a) *Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi dicunt,*

*Vel quia turpe putant parcre minoribus, &*  
*qua*

*Imterbes didicere, ſenesperdenda fareri:*

Dici certè apud Minutium cum eodem potest:

*Cui inuidemus, ſi veritas nostri temporis,*  
*etate maturuit?*

G 7

Uſque

(a) *I. I. ep. I.*

Usque adeóne addictum est antiquitati bonum, ut esse illi novum non liceat? quod de religione scripsit Arnobius, de iis item est verum quæ tempus & studium quotidiè detegit. Non quod sequimur verum est; Sed nos serò didicimus quod nos sequi oportet.

Quis ergo metas ingeniis figat, & inventorum angustiis immensitatem illorum arctet, quasi jam in rebus inveniendū nihil supersit?

Hac prisca secula si lege vixissent, nihil sciretur, (a) nusquam enim invenietur, si contenti fuerimus inventis. Propterea qui alium sequitur, nihil sequitur, nihil invenit, imò nec querit. Caditque in illum quod Dantes de sequacibus oviculis venustè: (b) caulis, inquit, exeunt vel bina vel terna, timidulus cœteris rostrum & oculum humili prementibus. Quod audet prima sequuntur & reliqua, tergo ejus incumbunt si subsistit, curque id factitent ignorant. Quare addit Danti Italo Latinus, cum sapere, id est, veritatem tenere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio, inventa Majorum probant, & ab aliis pecudam more ducentur. Quadrat bellissimè in hanc rem Erasmi Echo, quæ Tulliano mancipio jactanti scep̄t̄ius, se annos decem consumpsisse in legendo Cicerone, respōdit, one, quibus Syllabis duabus illi

(a) Sen. ep. 33. (b) Cant. 3 purgas. (c) De Orig. error c. 8.

illi exprobravit, dum æmularetur fieri simius Ciceronis, vice Ciceronis asinum evasisse.

Sed facile video paucotum esse vim illam ingenii ad suscipiendas, & promovendas feliciter, inventiones rerum utilium. Hæc enim molientem, aut metus territant intestini, aut improbantium suasiones contrariæ. Habent id commodi stellæ fixæ, quæ communi Cœli raptu minimè moventur, ut non sint obnoxiae vel motiis effrænis reprehensioni, vel erroris. Planetæ contra viam sibi per se se pro suo arbitrio qui sternunt, quod statam motus sui & simplicem regulam, specie aliquâ descensus & ascensûs, tarditatis & celeritatis variè temperent; vagæ vulgo dicuntur, & incertæ suo in flexu constantiæ; magisque errores quam ratas periodos, labyrinthos quam circulos nobis describere.

Alexandri ambitio mundorum capax plurimorum, sui tamen meminit aliquando, provectusque ad littus Oceani, hoc etiam mundo quem suis putavat longè multumque desideriis imparem, ultiro se minorem fassus est; veritusque ne mari, quam terra foret infortunatior, cupiditatis insanæ contraxit vela, quibus nova trans mare meditabatur imperia. E timido prudens, etiam hunc metum suorum dissimulavit consilio, suamq; illorum precibus condonavit fugam.

(4)

(a) [ Græcia, Domine, ajebant, ac ne tota quidem plus satis fuit ut victa Herculem crearet semideum ; tibi terra omnis videtur angustior ut te faciat Herculem. Orbis quem possides jacturam ne facito, dum alium quæris. Si essent aliæ trans mare Regiones, ad sportasset in illas hostes tuos fuga , quos armorum tuorum potentia inferis obruit, contentus esto naturæ finibus , nec optes ulterius regnum porrigerere : servabit æternum hoc littus, pedum sui domini impressa vestigia , & metas ultimas humanæ generositatis. Celebraberis Hercules Orientis , ut Occidentis Alexander dici potuit Hercules ] ad hæc Alexander

(b) *Constitit, & magno se vinci passus ab orbe est.*

Colúmbus ille magnanimus, & malis invictus, qui novos ultra Oceanum mundos vidit, si tantumdem fecisset, nesciret hodiéque aromatum delicias Europa, & opum fodinas, & Americam orbi medio patem. Obstabat ejus consiliis repulsa duarum Rerum publicarum , sed ventorum secutus arcana suffragia, qui ab Occidente insurribant illius auribus, patere illic amplissimas regiones, ex quibus ingentem flatuum copiam ducerent , solutis ancho-

(a) *Senec. suas.* (b) *Lucan.*

anchoris vela explicuit, & navi modicâ cum duobus cercuris, in illam se immisit immensitatem aquarum interjacentium; ut nec dubii cursus exitûs, in mari antehac innavigabili; nec periculorum ubique urgentium incerta longinquitas; nec monstrorum occursus terribiles; nec intestinæ suorum coniurationes; non accisi desertis in plagis commeatus; non tempestatum vis, ignotas subinde in oras jactantium; non illa naufragiis sævior quâ confixus hæsit in zonâ torrente malacia, retrò illi proram vertere potuerint. Quo præter alia non illud tantum prærogativum jus ab Castellæ Regibus accepit, ut familiæ suæ scutum domesticum orbis ab se inventi adjunctione partiretur cum hoc desuper Lemmate:

*A Castilla y por Leon  
Nucuo Mondo diò Colon.*

Sed immortalibus etiam meritis sibi, Genuæ, atque Italiæ, mortales obstrinxit universos, fecitque mundi unius debitores. Sic novas quærentem in scientiarum infinitate terras, quod est mari se dare non ante sulcato, opus est multa coquere tædia cursus lohgiissimi, & laboris prope non tolerabilis, inter crebros desperantis ingenii suasus; seque ipsum fortiter

126      *Character hominis literati,*  
titer vincere, nec maris pericula & ærumnas,  
sed prorsus quietem, & gloriam cum illis in-  
gentis animi ducibus cogitare:

(a) —— *Tu sola animos mentemque peruris  
Gloria, te viridē videt immunemq; senecta  
Phasidos in ripa stantem, juvenēisque vocan-  
tem.*

Homerus princeps inter heroicos, & Poë-  
tarum Heros duplici titulo in iis excelluit, &  
quod præcessit illum nemo, à quo scribendi  
exemplum duceret, & secutus est nemo qui  
scire illius exemplum referret; major in illo  
majoribus, in hoc posteris melior. Encomio  
duplici vix quicquam addendum reliquit Velleius.  
(b) *Neque ante illum quem imitaretur, ne-  
que post illum qui eum imitari posset inventus  
est.* Splendebit hic inter literatos dum vivent  
literæ, vivent autem quandiu vivet mundus:  
eminebit ut Argo illa fortunæ domina quæ  
post enavigata maria portum in Cœlo legit,  
ubi stellis dives, & Heroibus quos vexit:

(c) —— *Mari quod prima cucurrit,  
Emeritum magnis mundum tenet aëta pro-  
cellis,  
Servando Dea facta Deos.*

Sic

(a) *Val. Flacc. I. Argon.* (b) *L. I. Hist.*  
(c) *Manil. Astron.*

Sic ille inter alios sexcentos ævo nostro vicinus, Lyncæi oculi Galilæus, qui mentis acuminæ, & canaliculato speculari, terræ cum cœlo commercia miscuit; & Stellas tum ante videri dignatas, in conspectum dedit; tum nitoris sui nævos abscondere cupidas, oculorum censuræ exposuit. Lyncis hujus sepulchrum hoc carmine lugeat, quo in navem Argo Poëta jocatus est:

(a) *Arge jaces, quodque in tot lumina lumen habebas*

*Extinctum est, centumque oculos nox oscupat una.*

Addo huic libenter Christophorum Scheiner, qui raptâ ex nobilibus faculis, & Solis maculis cœlesti luce, reconditarum, & multiplicium probatarūmque doctrinarum, Astronomiæ & Philosophiæ peregrinam gazam mirificè auxit. In quibus duplex est Solis motus, alter quo turbinis in modum, indefessa se circuitione eosdem in gyros circumagit; alter quo eodem tempore ex utroque polo sui axis constanti ordine duos circulos describit, unde varietas nascitur ludentium desuper macularum: præter conjecturas non vanâ nixas probabilitate, de conceptaculo, de ortu, de incrementis earumdem, interdum etiam de regres-

(a) *Ovid. Met.*

regressu, & defectione, ex quibus non pauca de Solis substantia, ejusque adeò natura statuuntur. His ille Astronomiam tam abstrusis locupletavit notitiis, ut si tantumdem singula saecula promoverent, non minoris brevi futura esset in caelo juris, quam Geographia in terris. (a) *Matti ingenio este celi interpretes, rerumque natura capaces, argumenti repertores, quo Deos hominesque viciisti.* Digni quibus ut olim Metoni ponatur statua linguam auream habens cum hac Epigraphe, (b) *Ob diuinias predictiones.* Columnam enim reliquerat moriens, in qua justo linearum ductu vias Solis omnes descripserat: digni quos cælum se toto remuneret, & liberaliter suis stellis coroneret, ut Carolus quintus Americæ historicum Oviedum, crucis recens in caelo reperte stellis quatuor pictis donavit. Viri nempe sunt isti, qui

(c) *Admovere oculis distantia sidera nostris, Aetheraque ingenio supposuere suo.*

Duos memoravi, ne omnes silerem, cum loqui de singulis non possem. Nobis, qui sequimur, incumbit illud Senecæ monitum:

*Agamus*

(a) *Plin. l. 2. c. 22.* (b) *Idem l. 7. c. 37.*  
(c) *Fast. I.*

*Agamus bonum patrem familias: faciamus ampliora qua accepimus: major ista hereditas à me ad posteros transeat: multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille sacula precluditur occasio aliquid adhuc adjiciendi.*

Verum enim verò, hæc à me haudquam ad hoc prædicantur, ut inveniendi studio quæ latent, novitatis magistros creare cupiam, & extra naturæ lineas, calcatumque tot sæcula, tot ingeniis iter, eò impellere, unde unum reportent temeritatis plausum vel erroris. Pergant sanè, qui volent cum Cynico contra omnium sensum ire mortalium, velut sapient soli, & ex Heracliti puto expiscati sint soli rerum veritatem. Ingeniorum se Solem fingere, non prærogativa splendidioris scientiæ est, sed audacia impudentiæ jactantis.

(a) *Nitor in adversum, neque me qui cetera, vincit*

*Impetus, & rapido contrarius evobor orbi.*


*Quid hoc est aliud, quam ex ruina infamiam, & risum quærere? Tutas lucis currus, & claras signarat orbitas:*

*Hac sit iter; manifesta rotæ vestigia cernes.*

Jam.

(a) *Metam. 2.*

Jam terram moveri periodis annuis sub  
 ecliptico circulo , quotidianis circumferri,  
 ab occasu in Orientem gyris : Lunam cæ-  
 terosque planetas, habitatores popu-  
 los, diversæ ab nobis naturæ : mundi mo-  
 lem esse infinitam, immensisque intra se spa-  
 tiis, mundos innumerabiles claudere, hæc  
 & similia novitiorum Chimæræ sunt , par-  
 tim ex putridis ossibus Cleanthis & Philo-  
 lai excitatæ ; partim ex tumulo & cadaveri-  
 bus Pythagoræ, & Heracliti; Democriti de-  
 mum , & Metrodori ; cum quibus sepultu-  
 ræ tot jam saeculis jacebant. Ferales has um-  
 bras & veri expertes evocare, non est mun-  
 dum novis scientiis , sed antiquis erroribus  
 ditare ; nec magistrum fieri posteriorum, sed  
 discipulum veterum , eodem cum illis au-  
 storamento & pretio , ut eorum nobis-  
 cum insanias, & vigilum somnia  
 æterna oblivio de-  
 leat.



*QVI POSSINT FVRTO LAV-  
dabili nedum innocentia alienis  
labores in nostros usus verti.*

**R**Em sum aggressus nimis difficultem, dum  
ut literatos à furtis literariis deterrerem,  
persuasum iis esse volui oportere illos novis  
ingenii sui inventis augere scientias, suoque  
id grandi facturos compendio.

Præstabat me artem docere, justè, ac laudabiliter furandi. Furta lucis de solari curru quem lubens interpreter ingeniorum præstantium librum , & veritatis triumphalem currum ) non sunt omnia rea Caucasi , & Aquilæ voracis. Fas est multa ex eo tollere impunè , sed quo more crystallus exceptos radios reflectit in Solem cum fœnore, tantum abest ut quicquam iis detrahat ; non autem ut Luna , quæ tam malâ fide lumen à Sole accipit , ut cum fuerit Soli propinquior , & lumine plenior, tunc Solem à quo illuminata est, ingrata obscuret. Apes ingeniosæ pariter & prudentes :

## *Candida circum lilia funduntur?*

Sed

Sed rapinâ ita innocentî, ut nullâ odoris depravatione, nullâ venustatis labeculâ, nullâ integratîs imminutione, ceram & mella ex floribus, sibi aliisque abundè colligant.

Prima ergo furandi ratio, quæ laudem meretur, solerti constat imitatione. Suæ conscius pumilo staturæ, in turtis edita consendit, inde metitur quâ, & quò securè, rectâque iter sit. Cujus angustiæ capitîs theatrum non capiunt oqatarum apud se imaginum perfectæ designationis, ex usu veteris, & rudiariæ picturæ, umbras circum sequatur absolutarum figurarum, & ex typo illarum suum opus absolvat.

Atheniensis Venus Phrine, tam impudica quam formosa, exemplar erat pictoribus, ex quo suas pingebant Veneres, quò pulchriorres, hoc divinitate digniores. Schola erat picturæ exquisitissimæ illius aspectus, inde rara non modò ducebant ectypa, sed pulchritudinis absolutissimæ, quem mente gerebant archetypum perficiebant admirabiliter, proportione partium nusquam eatenus animadversâ; temperamento coloris, & suavitate; compositione corporis, supra omnem oculorum experientiam & artis regulam. Ejusmodi ferè sunt excellentium virorum compositiones; quæ sagaci oculò accuratōque introspectæ, paulatim sui nobilem ideam ingenii

geniis imprimunt, ultrò ad opus simile provocantem. Et sanè experti scimus, qui assueverint legendis attentius scriptioribus heriocorum sensuum, & sublimioris argumenti, eodem illarum instinctu ebrios nec scire aliter, nec posse scribere: quod lusciniis narrare evenisse, quæ nidos ad sepulchrum Orphei figerent, eas scilicet ex canoro illo Musicorum Poetarum principis cinere, halitum hausisse, quo modulatius cæteris & doctius canerent, audirenturque ut Syrenes præ saltuariis, & nemoralibus.

Atque in hac attenta, & assidua lectione eruditarum lucubrationum, ad transcribendam in animum legentis earum imaginem, solerter institutâ; eadem videntur edi miracula, quæ imaginum formatrix facultas occulte molitur. Nasci videmus interdum filios oris angelici, ex agrestibus, distortis, & rusticis matribus, tanquam ex bulbo vilissimo narcisos: fœtibus enim, quos geregant omnes elegantiæ veneres impresserunt, formosissimorum tabularum fixo. & repetito saepius aspectu.

Nec facit nostra ingenii meticulosa tenuitas, ut fructu careat imitationis, hæc magnorum auctorum contemplatio vel æmulatio. Pullis suis nido expellendis circumvolant Aquilæ, & flexu vario ad primos volatus eru-

diunt, subinde quoque alâ cædunt. Pullos adhuc malè plumis instructos angit & retinet timor, ne matres in summa nubium sequantur; sollicitat tamen amor deserendi nidum, & explorandi alas. Cedit enim ut plurimum prosperè quod placet, maximè si ad genium naturæ, delectus accedat voluntatis: & quæ adhibetur ad hoc contentio, si quid habet laboris, jucunditate operis evanescit.

**C**oram igitur spectare felices magni ingenii volatus, non modò ad similes desiderium excitat, sed subdit cogitationibus animos, & vires menti; dum plura se posse comperit quam existimasset. Quo nisu tametsi non pulsatur ascensu cælum, nec stellæ calcantur; humo altius surgitur, nudus contemnitur. Exemplaris delecti, si periodis paribus non obtinetur majestas, & dignitas; fit saltum quod facit hæliotropium radice fixum, sed flore solem sequens; cum sole perpetuo mobili, parvo gyro rudimentum describens immensâ circuli, quem sol per utrumque describit (a) Horizontem.

Sed tenuis lucri est, si Quintilianus non fallitur. Alienorum hæc imitatio. Sit ergo opera surandi solertia nec lege vetita, nec expens summae laudis. Tolle ab aliis quod lubet,

(a) L. 10. c. 24

lubet, verum à te de quo sic perfice, ut esse illorum desinat, tuum fiat. Quo modo Adamas radium lucis quem fundo excipit, tot multitudine colorum variat, ut sole faciat pulchriorem. Furti perperam is notatur, qui cum satu sui ingenii cœlestis, maris gracilem spuma tam scitè commiscet, ut inde Venus pulcherrima existat; partus, inquam, literarius elegantiæ singularis.

Ille tantopere decantatus Phidias Jupiter, artis orbisque prodigium, constabat ex ebore; nec propterea poterat bellua palnare operis divini specimen sibi arrogare, furtumque nominare eximium illud quod ei de suo Sculptor contulerat. Membrorum inter se nunquam prius spectata proportio, orjs divinitas, & totam statuæ illius artificium humano præstantius, quod vetabat eam cum alio manus cuiusvis opere comparati, Elephanti non erat sed Sculptoris. (a) *Phidias manus Jovem Olympium ex ebore molitur, & adoratur; nec iam bestia, & quidē insuffissime, dens est, sed summū faculi numen. Non quia Elephas, sed quia Phidias tantus. Truncos informes qui providè legit, ut elaboret in statuas admirationi futuras spectantium; vitrea ut in adamantes; stillas roris in pretiosos uniones; dici*

H 2

fus

(a) *Tertull. de refur. c. 6.*

fur absque injuria non potest; sed clarus artifex. Debet illi materia quicquid pulchri habet, honoris, & pretii; ipse materiam nemini. Quod fiet etiam magis perspicuum ex theatris fontium, qui Romæ, Tibure, & Tusculi cum stupore visentium oculos rapiunt: ubi aquæ in tormentis ludunt, & ingeniosæ ad patrendum, plures se in rerum species transformant, quam Proteus. Videas illos è crustis immanibus, & amplis specubus stillare guttatum in pluviam, cribro haud minus æquabili, quam si eam de cælo nubes divideret. Videas prodire velut ab Æoli cavernâ ventos, afflatuque humido australes, placido zephyros, aquilones procelloso & frigido. Videas texturâ se tam subtili distendere; explicatione tam planâ diffundere, ut jures vela esse aerei statim Soli derepentè obductâ: videas iterum in stillas se comminuere tam exiles, ut de se nubem contexant roridam, quæ adverso Sole arcum Iridis, & colores trahat fallaci ludibrio jucundè spectabiles. Aquas demum illa videas animare motu, cultuque vario mortuas statuas; è subterraneis furtim emicare, & sursum vibratas crisspare in tubulos sese; lugentium edere gemitus, gaudientium cantus, furentium mugitus. Nec illam solùm revocare, à Tertulliano nominatam, (*a*)potentissimam Archimedis

(*2*) *De Rer. carn.*

*medis munificentiam*, quam suspiciebat in hydraulis, sed omnes prorsus imitari varietates, modos, & conflictus vocum: velut ductuum faucibus & ore canerent, (*a*) non spiritus, qui *illic de tormento aquæ anhelat*, sed ipsæ fontium incolæ Syrenes. Ad hos amphitheatri aquei parandos ludos, & erudiendos occultiori disciplinâ fontes, accersuntur ex obviis quibusque, seu rivis, seu lacubus vulgares aquæ, reptaturæ de cætero inter riparum lutulenta & avia, vixque idoneum animantibus potum præbituræ, nisi eas industria cœno evectas vernaculo, in usus transferret nobiles; infusioneque iis genio altiori, hortorum gloriæ, & delicis Principum eas adhiberet. Quid hoc? An non est opere materiam superare, sibique illam pro suâ assérere. Idem faciant fures. Materiæ furtum operosâ laboris sui arte sepipliant, in iis, quæ de suo addunt, absuntur prorsus quod erat alienum.

Verum hæc rebus sic perficiendis industria, ut jàm sint diversæ ab iis quæ fuerant; nobis, que penitus mancipatæ, probè nota, sed perperam obita, non paucos fecellit, nempe homines mutare faciles, sed instaurare ac perficere ineptos. Qui sane tantò gravius sunt rei, quantò est fædius pulchritudinem absolutissimi operis deformare, quam furto illud sub-

H 3 duce-

(a) *Ibid.*

138      *Character hominis literati,*  
ducere. Ne fures audiant fiunt homicidæ :  
quod pulchrum, vegetum, & rarum eminebat  
in iis quæ rapuerant, deformant & extin-  
guunt; integratatem operis membratim di-  
strahunt; dispositionem subvertunt; tam in-  
feliciter felices, ut paucis lineis Helenam mu-  
tent in Hecubam; Achillem in Thersitem.  
Eandem claris aliorum laboribus ignomi-  
niam infert eorum inscitia, quam indigna-  
tio Atheniensium trecentis Demetrii statuis,  
quas probro illius sempiterno conflagrunt in  
usus fœdissimos, & sordidissimos. Certat  
Circæâ cum virgâ illorum stylus, potens suâ  
imperitiâ illustres scriptores in monstra ver-  
tere, dum Heroas contactu magico in por-  
cos transmutat. Quod Comædus agrestis,  
& rusticus cum non esset veritus audere in  
versus Poetæ elegantissimos, loquacitate  
manuum (antiquo mimorum invento) tam  
absurdè illos stolidèque expressit & reddi-  
dit, ut ex fabulâ Niobes in saxum conversâ,  
ex mutato in truncum Daphnide prometitus  
sit hoc encomium :

(a) *Saltaruit Nioben, saltaruit Daphnida Mem-  
phis*

*Ligneus ut Daphnis, saxeus ut Niobe.*

Quan-

(a) *Epigr. Grac.*

Quanquam autem tollendis furto alienis ; ea reverentia & moderatio adhibetur quam adhibuit ales Jovis in rapiendo Ganymede, parcens & unguibus, & cuivis molestiæ ; quam eum Leorcas pari arte ac judicio ex ære fudit (a) sentientem quid rapiat in *Ganymedo*, & cui ferat, parcentem unguibus etiam per vestem ; non plenè tamen satisfacit hæc reverentia. Furti culpam minuit, sed non tollit. Quantò tamen gravius fur infert rapto manus ? deformat, confundit, distorquet alienum ut suum faciat, suum planè, ut ille apud Martialem,

(b) *Quem recitas meus est, ô Fidentine, libellus :*  
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

Ornatui operis , ingeniosa variatione ex alio sumendi ( quod furtum innocens vocari placuit ) addo ad ultimum , decerptæ materiæ mensuram quam ex minimo semenis grano vel surculo crescere oportet in arborem. Multa bonis auctoribus obiter excidunt , intentoque vix digito ita indicantur , ut facile oculos fugiant visus crassioris ; sunt tamen notæ compendiariæ magnis, & amplis gravidae sensibus , quas si quis novit evolvere , & quas arctant opes explicare , tantum non ex

H 4

nihil-

(a) *Plin.l.34.c.8.* (b) *L.1.Epig.39.*

Stellas habet cælum innumerabiles; septem ex iis legit, quibus suam singulis attribuit sphæram, cum potestate vagandi quæ vellent. Reliquis si privatos gyros, & periodos assig-  
nasset; quæ stellarum septem erroribus, cæli vastitas nunc ægrè sufficit, infinitati aliarum quomodo par esse potuisset? Ita ferè scriptores egregii dum libros componunt, materiam seligunt proposito intimam; & argumenti sui sphærâ circulisque conclusam tractant quidem ubertim atque magnificè; sed non pos-  
sunt quin paissim pulcros ignes, tanquam stel-  
las minores, peregrinarum cogitationum sensusque reconditi spargant; quæ cæli unius volumina facile impleant, si mentem invenient, à qua circumagantur, idoneam. Hæc de alieno qui surripit, felix in furto est; minimum aufert, multum addit; utrumque sibi jure non dubio asserit; scintillam quam rapuit, in Solem accedit; seminis granum at-  
tollit non vulgarem in cedrum, sua ingenii singulari gloriâ; ex notis aliquot verborum simplicium Palladem excudit eloquentem, & pulcram. Demum ex Herculis vestigio, Pythagoricæ computationis artificio sagaci, mo-  
lem corporis struit suis & membris & mem-  
bris omni ex parte absolutam.

*OBSCOE-*

¶¶¶: ¶¶¶: ¶¶¶: ¶¶¶: ¶¶¶:

**OBSCOENITAS OBSCOENI**  
*Poëta infamis professio.*

**B**EATUS Hieronymus, ille de speluncâ Bethleemicâ Leo, qui suo rugitu grassantem orbe coercuit hæresim, terrore scelera castigavit, non prætermisit Poetarum obscœnorum flagitiosam damnare licentiam, qui stellis etiam larvas induerant impudicarum imaginum, divinorum invidi calumniatores, Phlegræis in cælum facinorosiùs rebelles; impressionémque in Deos ausi, non erutis rupibus, sed portentosis sceletum molibus. (a) *Non debemus, (inquit,) sequi fabulas poëtarum; ridicula, ac portentosa mendacia, quibus etiam cælum infamare conantur, & mercedem stupri inter sydera collocare; cæli prorsus terræque indignationem commeriti,*

(b) *Quorum carminibus, nihil est nisi fabula cælum.*

Orbi nempe parūm luculenter constabant  
propu-

(a) *In c.s. Amos.* (b) *Manil.*

propudiosa Jovis furta ; nisi splenderent inter stellas : non sat suo illo infami , & sacrilego errore dehonestaverant marmora , æra, plausus, aurésque scenarum turpium, nisi daretur iis pro theatro Cœlum ; stellæ pro imaginibus; pro spectatore mundus. Et post hæc minantur sancti piique monitores ab Jove fulmina in terras , & reos scelerum mortales, quorum magisteria in cœlo statuere Calisto adultera poli obtinens stellas , una duabus præsidet sortibus, navigationibus in mari, & naufragiis in terra ; suo illic igne prælucet castis ut siant adulteræ , si Jovem reperiant, qui adulteria stellis remuneret :

(a) *Sic Ariadnaus stellis cœlestibus ignis  
Additur ; hoc pretium noctis persolvit ho-  
nore  
Liber, ut aethereum meretrix illuminet axem.*

Tam turpium aspectus syderum , quos possint in terras influxus mittere , nisi turpes, & flagitosos ?

Verbum publicè dicturus Architas , non nihil à summa deflexum modestia , cum id ad labra revocasset , tam indignum putavit linguâ hominis edi, ut carbone pro linguâ usus

(a) *Prud.contra Symmac.l. I.*

usus sit & stylo igni cœgnato ; quo illud in parietis extimo significaret, magis quam scriberet. Ah ! linguæ stellarum aureæ, dum attenta mundo nox silentia indicit , quid sonant? Quid docent? Lucis suæ splendidis voci bus flagitia in cœlo prædicant , quæ celandæ ignominiæ, cæcam noctem & tenebras quærunt. Atque hanc utinam Ethnicorum scriptorum poesin nefariam, Christianorum vena probrofa non vinceret ; quæ non modò pingendâ imaginibus confictis variâ stellarum impudicitiâ , sed ipsis quoque scelerum portentis in chartas, ipsosque adeò in sensus intimos insculpendis , tam felici ac fœdo artis in felicissimæ exitu adlaborat. Non desunt sui hodiernæ poeticæ Nasones , qui Parnaso I-dam, lauro myrtos, columbis cygnos, Delio Cupidinem anteferant, Musasque virgines, publico meretricio prostituunt. His quoque nihil possit optari melius quam in Mœcœnarem Augûstus aliquis ; in temperamentum impuri ardoris, nix scythica ; in medicinam, Ponti gelu. Invaluit nempe lues hæc eð usque, ut esse nemo sat poeta credatur, nisi sit impurus ; quem fere in modum Antisthenes de Ismenia argumentabatur , *si bonus tibicen est, ergo malus homo est.*

Quis dubitassem per quicquid est sacrum  
sanctumque affirmare Ethnicorum poesin in

Christianorum deductam colonias, facturam idem, quod Venus Spartanorum ex Europâ Spartam ingressura. Confracto speculo, divulsis torquibus, meretricii mundi projectis quisquiliis, modestiam induit, & gravem, imò & armatam, & Palladem pro illâ, quæ fuerat, impudicâ. Scilicet ! creavit beato transgressa mali pernicies, scribendi licentiam, quam olim frænabant exilia, nunc merces auctorat, & præmia; efferuntur inter astra lyrae, quibus novi Orphæi fœda omnia decantarunt, & magno hiatu, reseratis tartari faucibus, non unam ex iis absolvêre Euridicen, sed insontes, & simplices animas infinitas illuc egere præcipites. Volant orbe toto illorum poemata, dorantur ubique Civitate, & omnium linguis; quasi metus sit, nemundus virgo intereat, nisi fuerit ubique libidinum omnium insanis aculeis ad fœda omnia stimulatus.

Præferunt frontibus titulos vitorum Principum, quorum nominibus fuere consecrata, pergunta quâ gentium lubet hâc tutelâ, quo tutius hoc effrenatius. Sic fiunt patroni libidinum, quos esse oportebat illarum vindictes, & auctoritatem cum nomine sceleribus commodant; ut Scythæ barbari, qui suis in carris turpiter occupati, (a) suspendunt, (inquit Tertullianus) de jugo pharetras, indices, ne quis  
interv

(a) *Contra Marc. l.i.c.2.*

intercedat; ita nec armis erubescunt. Eat nuuc,  
 & leges publicas Hippocratis arguat, quod  
 nullâ medicis imperitis constitutâ pœnâ, fa-  
 cultatem iis constituerint, ut essent homici-  
 dæ. (a) Discunt enim, ait Plinius, periculis  
 nostris, & experimenta per mortes agunt: me-  
 dicoque tantum homines occidisse summa impu-  
 nitas est. Quantò verò detestabilius, qui ve-  
 nena publicè condiunt, hoc præsentiora quæ  
 magis blanda. Coronatis incedunt capitibus,  
 cum damnari capite debuissent. Si quâ arte  
 pseudologi linguam induxit Lucianus ad ma-  
 leficia narranda, quibus patrandis ab eo scele-  
 ratissimè adhibita fuerat; eadem posset hō-  
 micida, & sanguinarius scriptorum turpium  
 stylus cogi, ad recensenda singillatim flagitia,  
 quibus nequissimè versandis, & perpetuandi  
 casta prius iagenia dementarunt: an essent,  
 qui pinguibus honorariis illos conducerent, &  
 laudibus meriti dignarentur humanâ excel-  
 lentiâ majoris?

Minus his reus, & veniâ dignior, si qua  
 impurissimo portento dari potest, ille apud  
 Senecam Ostius, qui ad execrabilis prospe-  
 ctus admoto speculo, (b) ea sibi ostentabas,  
 quibus abscondens nulla satis alta nox est. O-  
 stentabat (inquam) sed sibi. Dracones dum

I

suis

(a) L. 19.6.10. (b) Natur. 9.


suis se tegunt cubilibus, nemo illos ad cædenti magnopere indagat; si statu Cœlum corrumpere cœperint, nemo non cupidè ardenterque occidat. Sed ingerere in mortalium oculos, ea quibus abscondendis nulla satis alerat nox est; (a) hoc verò est eò flagitiosius aspectus hominum incestare, quo ars tota in iis doctius, insanit & delicatius, moreque antiquæ Græciæ nihil velat. Atque hæc, quibus nullum sat foret supplicium, etiam præmia inventire. quid querar, aut dicam, sitne levius stultitiae hominum portentum quam criminis, & malignitatis?

Virorum probro est, vestitu velle feminam videri; at enim omni turpitudinum omnium studioso paratu seorsum vetus, & putrem aperte præferre ac profiteri metetricem hoccine est statuas, hoc honoraria prometeri?



**DEFEN-**

(a) *Plin. l. 34. c. 5.*



**D E F E N S I O N E S P O E-**  
**tarum impudicorum improba, &**  
**flagitiosa.**

**A**udiamus tamen depulsiones culpæ ne-  
 quisimas, quibus sua tuentur impura  
 poëmata, & rapto ex face cupidinis furore, de  
 Poeta minus quam de lymphatico videntur  
 sapere.

Primum est defensionis caput, hilaria poe-  
 seos, & lepidos versus (a). Sic apud eos tota  
 impuritas vocatur urbanitas,) jucundè ani-  
 mula fabulæ voluptate, & suavitate carminis  
 elegantis per amatoria insontem circumferre;  
 nihil cogitantem præter solas eorum, quæ le-  
 git imagines. Ex quo conficitur, oblecta-  
 mentuni quod inde oritur ad ingenium potius  
 & mentem, quam ad blanditias, & lenocinia  
 sensuum spectare.

Hic velim respondeant illæ modò sorores  
 misericordiæ, quæ primæ in hujus generis inci-  
 dere pastoritum drama, recens tunc è typis in  
 publico visum; ejusque lectitatione in omnē  
 tēpentie iere spurcitiam, & mutatâ in lupanar

domo, ambæ magistras libidinum sunt professæ. Respondeant illæ tot maritæ simplices, quæ audita pastoritiâ ejusdem poematis recitatione (quod pridem, & certâ observatione notatum est) inde meretrices rediere, quò se innocentæ, & castæ contulerant: & in usu illius quam illinc hauserant disciplinæ, amandi videlicet quos vellent, deprehensæ; cum suis necatæ adulteris, simulatum impudicitiaz drama, cruentâ sed verâ catastrophe clauserunt. Verum totâ quâ patet Europâ, & quocumque illa se pestis diffudit, quanta scenarum nimium vetacum quâm foeda mutatio, quâm lachrymabiles theatrorum exitus contigerunt; postquam honestissimæ virgines putarum candori mentium suppares, ex poculo aureo poeseos impudicæ, venenâ duxerunt; quibus deinceps fascinatæ, humana specie vitam semper egere belluinam. Primo illorum inspectu carminum, virginitatem oculorum amiserunt, utque apud Plutarchum ait non nemo *pupillas virginis in meretrices verterunt*. Indè virginis animi secta jactura; infatuato denique jam sale castæ sapientiaz, tota in tabum, & saniem caro fluxit.

Indignatur jure B. Augustinus Homero mendaciorum poeticorum patri, quod Deos cùm fingeret latrones, homicidas, adulteros,

top-

tanquam divinæ propria naturæ scelera consecraret; idque volens nolens persuasisset hominibus, *ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed coelestes Deos videretur imitari.* At hi qui suas, & linguas, & calamos personis poeticis commodant, naturam docent vel esse nimis imperfectam & mancam, quod tanto pondere feratur in amatorias voluptates, à quibus lege inhibetur; vel iniquam legem, quæ proclivitatem naturæ insitam tam severè jubeat coerceri, ac reprimi. Docent iidem ad constantem castarum Virginum iustingen-dum pudorem, formam cum annis marcescere; cum pulchro amabile, quod in iis præcipue queritur; canos incassum id suspirare, quod olim flavi rejecerant; ævo tam brevi, amorem unum parum sufficere; honestatem aliud nihil esse nisi artem, & fucum honestatis. Hæc & similia venena expressa ingenio, manu diluta, & sparsa calamo hominis Christiani, qui soli uxori sua masculus nascitur (inquit Tertullianus) & qui (subjungit Minuzius) cupiditate procreandi aut unam scit aut nullam, quid monstrant apertiùs, quam planam ad crimen & facilem viam, dum credi volunt naturæ magis legem esse, quam culpā; in dolem quam vitium voluntatis: ætati nimirum deberi, doceri exemplo, persuaderi occasionibus, fragilitate excusari: sat denique

esse dum lateat & cautione occultetur. Hæc sunt videlicet oblectamenta cogitationis innocentis, & amores aerei, abstracti à concretione sensuum, Platonici denique non Epicuræi, & flagitosi? Enim verò quid dicturus sit aliud aut sensurus, non dico ille amatoris Ovidii adorator, & discipulus Ælius, sed quadrupes quivis si scholam aperiatur & amandi artem poetice doceat?

Nec censuræ vim retundit fallax illud, quo se tuerunt effugium, documenta hæc, & exempla fictis personis attribui; nec enim consiliarius, sed ipsum consilium; non persona sed factum persuadet. Quid porrò agunt personæ poeticae; nisi quod cavernæ rupium, quæ jocosam vocis reddunt imaginem? Auctoris vox ea est, quamvis ab alio edatur; ut ejus quoque est scriptio, licet eam charta exhibeat. Indutus Ascanium Amor nihilo frigidius infelicem Reginam urebat, quam si nudus, & suâ cum faculâ in ejus gremio insedisset.

Jam si magnum veri magistrum consulas experientiam, docet ea quotidiano malo, dum leguntur amores alieni, concipi proprios; Infortunia miserabilia repudiari spretaque amoris, mollire animum ad ejus, si urgeat, assensum. Quæ in fictis personis vocatur crudelitas in amantem, & pertinax à blanditiis ejus aversio, teneritatem legenti suggetit in ejusmodi

modi officiorum illecebras mitiorem. Sic parato in chalybem fomite, ictus oculi unus inter salutationis vel alia urbanitatis officia, ignem excutit, flammā rapit, & crimen peragit.

Edomatur pectus igne alterius; sensimque instar ceræ sigillum admittit affectuum quos aliis singit. (a) Nec enim unus Augustinus veris lachrymis flevit, desertæ Didonis fictas lachrymas, & querelas. Et vero licet non raro amantem inteiū lateat, quid eum alterius amore solliciter, amat tamen in eo nesciens ignorantum quiddam, ut stultus ille de fabula puer, qui vacua aspectu imaginis ad verum amorem movebatur; (b)

*Quid videat nescit; sed quod videt, uritur illo.*

Pudet cum Clemente, Veneres duas memorare, Cypriam unam, Gnidiam alteram; ex ebore illam, istam ex marmorè, utramque vitæ ac sensu expertem, sed vivis similem vuleibus meretiūcum, & flagitosos latè ignes proflantem. (c) Epiphonemā tamen Clementis conficit quod volo: par enim est omnino poriculum lascivæ poëseos, & sculpturæ nudas obscurasque statuas molientis Tantum ergo valuit ad decipiendum, qua homines amori dedicos illexit in barathrum.

I 4

Sequi-

(a) L. i. Confess. c. 13. (b) Metam. Clem.  
(c) Alex. Protrep. ad Gentes.

Sequitur depulsio altera, lascivientium Poëtarum. Negant huic generi componendi, mali quicquam inesse præter speciem & larvam, quæ meræ de bonis moribus philosophiæ sensus premat, & melle conditos fabularum, sorbendos jucundiùs propinet. Sic quondam in Creta pueris, leges musicè tradebantur: sic legis divinæ partem magnam Davidis vena Psalmis exposuit, (a) *Ut dum suavitate carminis mulcetur auditus, divini sermonis pars iter utilitas inferatur.* Nihil verò obesse ajunt, quod minus Poëtæ suis operibus breve illud Dantis præfigant monitum. *Vos quibus sanamens, attendite peregrinorum versuum, involucris reconditam doctrinam.* Poëtas denique (inquiunt) si probè inspicias, (b) *reipæ Philosophos dixeris, nomine poëtas; qui invidiosam rem ad eam artem perauxerunt, qua maxime populum demulceret.*

An est audita unquam poësis manificens, & perniciösius mentiri? Volunt morum magistri audiri, morum pestes, & carcinomata.

*Et simulant Curios, cum Bachanalia scribant:*

Cessit quondam Pompejo ex animo, tam illustre altumque mendacium. Theatrum illud

(a) *August. in Ps. I.* (b) *Max. Tyr. serm. 26.*

illud suum quod turpitudinum omnium nefandis ædificarat spectaculis, ne subruerent boni cives, (a) quasi morum laxienam, ædicularæ Veneris dedicatione turatus est; cui subiicimus ( inquit ) gradus spectaculorum. Ita damnatum eō damnandum opus templi titulo pratexuit, ac disciplinam superstitione delusit. Hodie profectò nemo est tam bardus, & stolidus, quin illis videat allegoriae coactæ velis male regi poematum obscena propudia: ne initio spectasse auctorem ut allegoricè scribearet; sed offensioni quam dabat utcumque lenienda, excogitatas ab aliquo illas magis chimæras, quam allegorias, & violentos conatus volentis libidines in mysteria mutare.

Aliud est Cebetis tabula, cuius labyrinthis in lucem evolvendis opus sit sene interprete, ne Sphyngis illius externus ignorans ænigmata, inde referat mortem unde lucrum petebat; aliud sunt recentia poemata, quæ Sphynx melius sexcentis obscuret ænigmatis, quam ullus explicet Oedipus.

Non nego veterum nonnullos, ne Theologiaz suæ recondita vulgi oculis profanarent, involvisse illa Silenis & fabulis quæ sacra, & vera judicabant. Nihil tamen nobis Ægypti sapientes de arcanis illis fecere residui,

præter simios, noctuas, aliasque illorum imagines hieroglyphicas tunc, & dœcas; nunc spreta ex pyramidum rudetibus ectypa. Ex antiqua vero Theologia Ethnicorum, quid restat posteris, præter adulteria, furta & homicidia Deorum; indignas planè imagines, quæ adhibeantur ad sacra vel explicanda vel tegenda?

Sed enim ævi nostri Poetis nihil causæ omnino est quamobrem id agant; cum potius futuri essent vel insigñiter impudentes, vel perniciosè maligni, si bonis moribus statuendis, & persuadendis impuras fabulas adhiberent: quibus nihil est ad eos extirpandos perniciösius. *a* Foret enim id ex Nazianzeno per scopulos ducere ad littus. Facillat itaque hic pastorum à lupis, & Philosophorum à Poetis impuris ornatūs.

Tertia tamen eorum defensio et si est frivola, est illa certè in Christianis haud paulò magis rea. Non querimus, ajunt, dum scribimus, ullius perniciem; sed honoris privati ambitu agimur. Præferūt nostræ poeses grandi charactere illud Ausonii (*b*) *Cui hic ludus noster non placet, ne legerit; aut cum legerit, obliviscatur, aut non oblitus ignoret.* Poetam ne accuset qui cadit; debilitati suæ lapsum attribuat:

(a) *Orae. 3.* (b) *Prefat. Cent.*

tribuat : nec scripsit Poeta, nec edidit, ut obnoxius lapsui, legendo caderet. Quid peccantē laxa si contra hæc arietent vitrea ? Qui umbratilem palæstram non didicit, cur in seriatis descendit ? Qui non est maris, & nauticæ peritus, cur se procellosis committit tractibus ? Apem esse oportet lectorem, & mēl de ingenio Poetæ, scribendi lepore, & imitationis studio legere ; non perversitate aranei. de obscenitate venenum, & mortem. Ajunt ne ipsas quoque divinas paginas, incestum Ammonis, adulterium Davidis, & nefandas tacere Sodomitarum libidines ; fuisse tamen Dei digho scriptas, nec esse propterea reas ; quod possit quis peccandi exemplum ex his ducere, lenociniis scelerum illecebrosius expugnatus, quam supplicio territus. Ut quid igitur culpatur potius insensu auctor, quam imprudens lector, si liber ad profectum ingetii scriptus, curtrumpendis motibus usurpetur.

Quām sapiens argumentatrix sibi videtur ignorātia humana ! (exclamat Tertullianus in re consimili) Potuitne sophisma lepidius syllogismo vestiri ? Expectabam mili, ut persuaderent peccatum quoque non esse peccatum ; cūni per se id nemo appetat, sed jucundo & utili contentus, culpæ malitiam aversetur. Nam quod (recte inquiunt) minime queritur, reum facere non potest. Dicant ergo

156. *Character Hominis literatè,*  
ergò quibus ex academiis hauserint, nolle me  
quod dico me nolle, dum ex proposito, & da-  
tā operā nihil omitto, quo possim ad illud  
pertingere; nec plura, nec alia, nec acriùs fa-  
cturus, si directè illud, & apertis votis ambi-  
rem. Si hoc unum Poetæ haberent proposi-  
tum, nec præter id aliud spectarent, quam ut  
fabulæ delectatione, ac blanditiis versuum a-  
cuerent stimulos impudicarum libidinum; an  
possent vel plausibilius, vel efficacius id præ-  
stare?

Erant verò ad eò stupidi, & cœci dum scri-  
berent, ut mentem ad hoc nequaquam adver-  
terent? Et jaçtent post hæc se id noluisse,  
quod modis omnibus fieri contenderunt? Nunquam illud profectò desinet eos lancina-  
re, quod Tertullianus feminis exprobrat,  
mundo muliebri ultrà modestiam intentis.  
(a) *Quid alteri periculo sumus? Quid alteri con-  
cupiscentiam importamus? perit ille tuā formā,  
si concupiscit. Tu facta es gladius illi.* Primis i-  
tem Ecclesiæ sæculis Christiani quidam ante  
baptismum statuariam professi, sacro fonte  
abluti optabant eā in arte pergere Joves, Mar-  
tes, Veneres ut antea fingere, fundere, venales  
proponere. Nimirūm aliorum se peccatum  
odisse; sed suo lucro consulere, & familiarum  
suarum victui locare operam continebant.

Arte

(a) *De cœtu fam.*

Arte sibi se uti, cæterum à cultu abhorrentes, qui fabricatis ab se tribubatur simulacris; adorationem illam, idololatriæ, non statuariæ culpam esse: Ex lege Christi se vivere; ex artis præceptionibus vendibilem operam & victimum aucupari. In quo quid tandem inerat religionis censurâ castigandum? Nostri Poetæ in causa communis libenter starrent istorum à partibus, nisi Tertullianus damnaret utrosque; & manus illorum pronunciaret (a) esse idolorum matres, & ferro præcidendas; ipsos vero sacrilegii summi reos, & idololatriæ non modò sacerdotes, sed plus quam sacerdotes; cum per te, inquit, Diu habent sacerdotes.



## *D E P R O B O U S V improborum librorum.*

**L**Ycurgus Spartanos ebrietate in perpetuum exempturus, exlex certè in hoc legislator, jussit vires ubique revelli stirpitùs; pejus malo ferens remedium, ut si quis sibi excusat oculos, ne se deformem cogatur inspicere.

Sapiens Plutarchus, debuisse illum, loca  
vineis consita, deductis fontibus irrigua face-  
re; Bacchum Naiadibus emendare, amen-  
tem Deum Nymphis prudentibus. Idem sit,  
si quis damno motus, quod omnes libri ho-  
minibus inferunt, libros omnes de mundo  
colli velit. Sunt hæc remedia extrema quo  
medici, extremis jubent reservari malis, omni-  
que aliâ curatione carentibus. Multi sunt li-  
bri ut *Polypi caput*, (a) (quod de Poesi re-  
tulit Plutarchus) habent aliquid boni, & ma-  
li aliquid: periclitabitur Cato vetus, & ei si-  
miles, *librorum helluo*, promiscue omnia utilia  
noxia, nullo delectu vorans, unde illi post do-  
lear stomachus, & morbus interitum mine-  
tur. Per me licet, inquit S. Augustinus, (b)  
prædam facias ex pravis scriptoribus, sed qua-  
lem Hebræi ex Ægyptis. Abstuleré ab iis vâ-  
sa scilicet aurea, Idola nequam tametsi au-  
rea. Acue-sis irgenii faleam Philistæorum  
cote, ut Hebræi, sed de messe illorum ne secu-  
rus manipulos colligas? habet enim plus lo-  
lii, quam boni tritici.

Qui valet oculis, tam multa & varia apud  
scriptores egregios notat, quam multa Ulysses  
in mercatorem subornatus, virgiibus Scyri  
venalia protulit; latenter in iis Achillem  
inven-

(a) *De And. Poetis.* (b) *De Doct. Christ.*

invento sagaci, ad bellum queritans, quem  
mater timida fœmineo habitu, inter virgines  
illas abdiderat. Aliis cupidè speculum, aliis  
inautes, monilia, puellarum nugas, optanti-  
bus; ensem memor sui Achilles occupat,  
quem simulatâ incuriâ paulum à fœmineis  
illis crepundiis cautè se posuerat Ulysses. Hinc  
agnoscitur Achilles, vincitur, dat manus, U-  
lyssi fit ad bellum, & Trojam comes. Talem  
se masculus & nobilis animus in legendis au-  
ctoribus exhibit: quicquid est feminineum &  
molle despuit, solas suā dignas generositate  
cogitationes; & desideria admittit.

Quod in hoc etiam sibi similis egit Alexander. Paridis cytharam quâ suam Helenam  
dux mulierosus toties decantârat, ne aspectu  
quidem dignatus est. Achillis expetiit Lyram,  
qua cruentis ex cæde Leonum manibus, in  
antro Chironis, vires, & animum laxabat.

Parum est legendis scriptoribus lubricis,  
boni aliquid spectare, nisi legantur etiam cir-  
cumspecte, & perinde sibi attendat lector, ut  
qui semper, (a) *per ignes incedit suppositos cine-  
ri doloso.* Quod mirè Sanct. Basilius exponens,  
negat unquam auctoris manibus quem legis,  
clavum animi tui debere permitti sic, ut pos-  
sit eum torquere quod habeat. Procul te ab  
tot.

(a) *Homil. de utilit. ex lib. gent.*

torpedine tantumdem spatii amove, quantum suo veneno potest inficere ; ejus alioqui ligaris frigore, stupes, sensu extingueris, illius præda sis. Herbæ, (pergit idem) quantumvis adoratæ, cicutâ & napello mixtæ ; flores elegantiâ, & colore formosí, sed nidulantibus viperis & aspidibus consueti ; cautâ magis, & suspensâ manu, quam curiosâ legi debent. Quo se periculum abscondit occultius, hoc meticuloſius agendum. Risus oris, & vultus amænitas, proditiones prætexunt maligne cogitatas.

Non soli Demosthenis, Cleopatræ, & Annibalis annuli toxicum palâ tegunt ; sua etiam sub gemmis libri venena premunt, haud minus idcirco lethalia, quod pretiosè latentia. Sublimium ingenia sensuum, & cœlo paria, luceque inventorum tanquam stellis blandum ex se fulgurantia, non sunt usque adeò securè tractanda, ut omni abjecta sollicitudine fiant nobis familiaria. Sunt in libris non raro, ut in cœlo stellæ, pulcherrimæ fateor, sed in figuræ digestæ monstrosas & deformes ; opusque est in iis obeundis, mōnito Solis præverti Phaëtonem, à viæ orbitis oculos, magna à lupatis remittat nunquam ; nempe quamvis iter sit per stellas :

(a) *Per insidias iter est, formasque ferarum.*

Huc

(a) 2. Metam.

Huc facit canum industria , qui aquas de Nilo, fugiendo, bibunt ; maluntque raptim lambendo aquam, sitim suam mulcere, quam bibendi morā, laniādos se exponere. Crocodilis. Facit hūc & Aquilæ cautio, quæ draconem raptura virulentum.

(a) Occupat aduersum, ne savia torquent ora.

Et hoc de libris volo intelligi, ex quibus vales quæstum scientiæ facere ; &, si oculo suspicaci, cautaque manu ad illos accesseris, frugem bonam nullo detrimenti ullius periculo ex iis metere. Nam si erunt, qualia Tertullianus reprehendit veterum theatra, (b) quorum summa gratia de spurcitia plurimum concinnata est ; si venenatis sint doctrinis suffusi & pestilentibus præceptis ; juvatne ( ut ajebat Poëta comicus ) (c) de pulcro arbore strangulari ? Igitur si Naso, si quivis alias antiquus aut recens Poëta nunquam ignes obscenos de vaporario corrupti pectoris in vulgaris sparsisset, Poëta esse non possem ? Et nisi Lucullus luxuriaretur, Pompejus non vivereret ? Quod medico turdum extra anni tempus ex Luculli vivario petendum suggerenti, ægrotus & indignans respondit Pompejus.

Li-

(a) 2. Metam. (b) De sp̄c̄t. c. 6. 7. (c) Aristophan.

Libris ergo ejusmodi, mortiferâ illuvie,  
aut foeda imbutis quid agas? idem quod Cra-  
tes recepto ex bonis venditis pretio, qui con-  
fectas ex iis pecunias in mare projiciens; *Ite,*  
*inquit, perdo vos, ne perdardis à vobis.* Et verò post  
Origenem S. Ambrosius, has ingeniorum fe-  
racingum pravas opes, *peccatorum divitias no-*  
*minavit.*

Sirenum cantu nihil erat suavius, nihil mi-  
rabilius, nulla vi tanta Echeneis ventis actas  
furentibus naves dente sistit, quanta Sirenes  
suis carminibus. Otiosis anchoris, & velis ha-  
rebant naves velut in sicco immobiles;

(a) *Delatis licet huc incumberet aura carinis,*  
*Implessentque sinum venti de puppe ferentes;*  
*Figebat vox una ratem.*

*Quid inde? ponē cantum somni, post*  
*somnum mors sequebatur. Desinebat in som-*  
*nium voluptas & in mortem somnus;*

*Nec dolor ullus erat; mortem dabat ipsa va-*  
*luptas.*

Hujus malis effugient aliud non erat, nisi can-  
tui aures & incantamenti obturare. Ad hoc  
celebres Ulyssis adhibendae ceræ: (b) *Qui cogi-*  
*tae sunt*

(a) *Claud.* (b) *Cassiod. l. 2. sp. 40.*

eravit felicissimam surditatem, ut quam vincere intelligendo non poterat, melius non adverzendo superaret. In poeticis hujus ævi Sirenum compositionibus canoris, pari arte est opus. Jucundæ sunt fateor & blandæ; sed quas magnam partem inutiles, & quod pejus exitiabiles,

(a) *Nescire quam scire melius est.*

Sint ex auro, & gemmis Circæa pocula: quem urat tam immanis furor, ut velit de illis toxicum potare? Quis Medusæ vultum in Palladis clypeo spectare audeat, quantacumque insit. Tlus videndi curiositate, si sit in sarcum illico vertendus? (a) Et satis est vidisse simul. Quantam honestatis & religionis perniciem invehit, non dico effrænibus, & licentiae jam projectionis, sed bonis adhuc & candidis, fiducia nimia expoliandi ingenii, ad hujusmodi librorum speculum; & spes fallax, non vulgarem ex iis effodiendi gazam? Iis planè sunt similes, qui ex capitibus draconum dum gemmas scrutantur, eorum halitu perimuntur, Cantu illekti ad volant & visco capti hærent, Ad excitandam mentem tam copiosos bibunt è medicato liquore spiritus, ut extra se fiant. Via incedens lutulenta, tametsi leviter, aliquid semper

(a) *Aug.* (b) *Claudians. Gigant.*

semper sordium delibat. Stellæ ipsæ sint lices  
stellæ, & ex pura cœli materia subactæ, humo-  
re tamen pastæ terreno & sordido, quem ex in-  
fima fugunt regione mundi, maculosæ fiunt  
& deformes; omnino rectè, si verè sensisset  
Plinius, qui *maculas non esse aliud, quam terræ*  
*raptas cum humore sordes perperam existimabat.* At hoc ponamus ex vero dictum; animi  
vitam professi divinam & cœlestem, si fœda  
pascantur illuvie ex Petronio, Nasone, Apu-  
leio, nostratisbusque adeò pejoribus Italis lente  
ducta; sordes scilicet mentis non contrahent,  
cum periculo optandi quæ legunt, & cogita-  
runt? Non erunt Jacobi ovibus similes, quæ  
versicolores concipiebant fœtus ad aspectum  
virgarum varii coloris, quas ripa subdola eo-  
rum oculis exponebat? Desunt videlicet me-  
liores, & suaviores libri, si quis sano utatur pa-  
lato? Quò mihi tibiæ (inquit Alcibiades ira-  
tus) cum iis in flandis torqueri sibi os deformi-  
richtu, & genas turgere animadvertisset? Cedo  
lyras & cytharas, quæ cantu oblectant, non  
deformant: facestant tibiæ, facestant: & pror-  
sus ab eo proscriptæ sunt, nec fuit in posterum  
Athenis qui vellet eas adhibere. Cur libris o-  
culos, cur operam commodas; libris (in-  
quam) qui te in monstrum turpiter commu-  
tant? Quid impressos animo Dei vultus, pecu-  
dum figuris oblitas? Habes ad manum tor-  
alios,

alios, & graviores, & utiliores ; cur spurcissimorum vomitus auctorum, avidè relegis, ut illi quondam apud (a) Ælianum aut imitatores Homeri aut fures, quos scitè finxit Galanus apertis faucibus, vomitus Homeri excipere. Nectar habes in promptu purum ; tanto suavius ; quanto jucundius animi pabula, quam coenosæ sensuum, & viles illecebræ sapient. Ecquid Tyri Reginam, super convivio oblectant cruditi, quos refert fidicinis cantus, dum

---

(b) *Cytharâ crinitus Iopas*  
Personat auratâ docuit qua maximus Atlas :  
Hic canit errantem Lunam Solisque labores,  
Vnde hominum genus. Et pecudes, unde imber,  
Et ignes :  
Arcturum pluviasque Hyadas, geminosque  
Triones.  
Quid tantum oceano properent se tingere Soles  
Hibisci, vel qua tardis mora noctibus obfies.



AD

(a) *Lib. 3. c. 22.* (b) *Eneid L. I.*

—•—•—•—•—•—•—•—

## *AD SCRIP TORES* *impudicorum poematum Pa-* *raneſis.*

**A**UDITE magnæ mentes; tertæ hujus Luciféri! ad hoc vobis Deus sublimem animum, & perspicax ingenium dedit, ut ejus in illum aciem ingratি verteritis? Ad hoc vos docuit manum & stylum cum laude ducre, ut impeteretis ejus honorem eo telo? An experiri debuit Dæmonibus inimiciores, quos fecit scribendi folertia Angelis similes? Quid est: alios nimirum in usus eandem impendere non potuistis industriam? ita loquar cum Tertulliano Israelitis irato, *Maluisti alium, & cape, quam cælum fragrare.* Potuit ingenii vestri lux beneficos radios fundere; ligni patris splendore lucere maluisti ex putredine orto & sanie. Ingenium sane fortiti non sitis nisi ad versus condendos docilem, & primum ad cujusmodi versus? Ad impuros scilicet, vos egit potius naturæ impetus, & necessitas indolis, quam pravitas animi & citimen voluntatis?

(a) *Quod jussit Pythagoras obscenum praetare*

(a) *S.Basil.homil.21.de lib.Ethnici*

stare fidicinem, mutandi solum erant Musæ  
vestræ modi ex Lydiis effeminatis in Dori-  
cos; extincturos omnes quicquid in aliis la-  
scivum, & molle sonuerit. At si naucti eratio  
Musam adeo meretricem, quam vos Genium  
poeeos nominatis, audietis ex me, & quidem  
justius quod de Leucippo atomorum primo  
inventore & fati defensore, dixit Lactantius:  
(a) *Quantò melius fuerat racere, quam in usus  
tam miserabiles, tam inanes, habere linguam?*

Quam præstet nescire protinus poesia pe-  
stem legentibus, & mortes sic inhalantem!  
(b) Obslitit medicis sapientis Imperator præ-  
scribentibus uxori suæ vini potum, citra quem  
fieri prægnans non poterat, arbitratusque  
morbo pejus remedium; *malo*, inquit, *uxorem  
sterilem quam vinosam*. Quantò laudabilius à  
vobis idem in vos ipsos deflectatur, *malo Mu-  
sam sterilem quam obscenam*. Si linguam non  
calleo nisi quadrupedum, *malo* videri homo  
mutus, quam quadrupes eloquens.

Opima videlicet spolia relaturi estis ex scri-  
ptionibus nunquam morituris, in quas cere-  
brum & æratem extilaveritis, si dum eritis ob-  
cas celebres in tetricis, apud inferos æternum in  
cruciatibus ululetis? absentes laudemini, tot-  
queamini præsentes? Quid hodie lucti est

Hora

(a) *De ira Dei c. 10.* (b) *Feder. apud Aen.  
Sylv l. 3. de reb. Alpha.*

Horatio, quid Ovidio, Catullo, Gallo, Martiali, quid poetis cæteris, religionis quidem sanctioris, sed vitæ pejoris, ex famæ publicæ clara luce; dum sempiternis sepulti tenebris, apicem quemlibet profanarum lucubrationum luunt cruciatibus horrendis? Quid iis prodest quod hinc inter homines, absentes ipsi nescientesque prædicantur?

Etsi multos post annos improbi laboris, exeat à vobis monumentum ære perennius, jactatūmque communi omnium approbatione; (quod tamen assequuntur pauci, quos æquus amavit Jupiter:) illius gloriæ quæ est excellentium operum merces legitima, quota pars ad vos pertinebit?

Vos leget, vos laudabit pars hominum minima & abjectissima; hominum, inquam, de trivio, vel pravorum: At cordati & graves (a) (*Quibus solœcismus magnus, & vitium est, turpe aliquid narrare, abhorrebunt à vobis tanquam à pestibus civilis viræ, morumque honestorum; & sublimitatem indolis male occupatæ, interpretabuntur Gigantum robur non propterea laudatum, quod Pelion Ossa imponerent; sed impietatis & sacrilegii damnatum, quod cœlum tentarent expugnare, & throno Jovem extrudere.* Quod si parum vos movet quævis alia ratio, en vobis Deum ipsum

(a) Hierom.

ipsum in stabuli delapsum fordes, in miseras  
egestatis; in ludibrium & obscuritatem vitæ  
abjectissimæ, & atrocibus scissæ calumniis; in  
servilis pretii æstimationem, damnationem  
cruciatus, mortemque sceleratissimi & im-  
piissimi latronis; ultiro, inquam, & sponte in  
tam sæva & crudelia delapsū supplicia, dirâ to-  
tius innocentissimi corporis laceratione; igno-  
miniâ nuditatis; acerbitate omnium dolo-  
rum, & infami cruce. Prodite, & interrogate  
cui tantum laborum? tantum itineris in Cal-  
variam ex cœlo? tantum ærumpnarum, san-  
guinis, lachrymarum? Quid tantus mercator  
lucrari ambierit præter animas? Quid aliud à  
nobis optarit, à Patre expetierit, agitarit, su-  
darit, nisi habere nos in vita imitatores sui,  
post mortem socios? Jam stare ex adverso, &  
facti vestri indignitatem attendite. Ille ad ser-  
vandas animas nihil omittit, vos nihil ad per-  
dendas. De vobis in futurum quid tandem  
potestis augurari? Qua fronte rei ad eius su-  
stemini tribunal, erumpentibus ex Orci bara-  
thro hominum innumerabilium vocibus, ac-  
cusantium se vestro scelere damnatos, & vol-  
ventibus sæculis eodem interitu alios absque  
numero damnados? Perditionis tot homai-  
num rei, vestrum scelus qua depulsione dilue-  
tis? fuere siquidem illorum non tam sceleris  
quam veltra: offensionem lapsuris objeci-

K. stis.

*Nis, & de sâtu vestro fructum exitii legerunt.*

Mortalium neminem Lucifer æquioribus aspicit oculis, juvat, curatque impensis, quam quos videt in calicem aureum Babylonis de se libros exprimere; vel contagio erroris, vel fœditate poesios pestilentes. Horum unus plus satis sufficit ad levandas temptationum hominibus inferendarum labore dæmones infinitos. Unum hujusmodi poematum centum dæmonibus æquipollet,

Timon Misanthropos, omnes oderat homines, uno Alcibiade excepto; quem idcirco amabat, quod eum divinaret, ex perspectâ ipsius indole, multis exitio futurum; ac si res illi ex voto procederent, etiam Græciæ universæ. Subterrancos illos Archimisanthropos nulli æquè esse amicos, & familiares quis dubitet, ut hisce immortalis ævi pariter & venepi auctoribus, multa saecula in Deum pugnaturis, expugnaturis passim multorum honestatem, & grandi numero damnatorum æternos ignes accensuris.

Scriptorem scio in paucis eximium his rationibus, ex fidei luce velut syderatum cohors tuisse ad sua poemata cum incredibili dolore tanquam ad orbis incendiarium Phaetontem, (qualem (a) Tiberius vocabat Caligulam:)

inde

(a) *Suet.in Calig. c. II.*

Inde ut fulmen commerita, damnasse illa  
flammis ultricibus; sed projecturum in præ-  
sentes & medios ignes, resticasse; & vi occultâ  
inhibitum, eorumque tactum miseratione, re-  
cogitasse totos septem annos ingenti labore in  
iis consumptos, noctes vigilatas, valetudinem  
accisa, prostratas vires contentione studendi,  
limandi, poliendi; eum nullum esset inter illa  
casum, quod non sibi aliquâ vitæ imminu-  
tione constitisset; ad hæc expectationem il-  
lorum publicam, & magnam summam deni-  
que ex iis gloriam. Proh incantamenta! qui-  
bus obstupecebat manus, convellebatur à co-  
pro brachium; resiliiebat pectus jam ab se  
diversum; consilii optimi propositum nobile  
tum credulitatis, tum crudelitatis incusabat; &  
tant im non veniam à libro suo petens, oscu-  
labatur illum & cordi apprimens, metum  
ignis quo illum perculerat sp̄c lucis publicæ  
solabatur.

Avertat Deus ne quando similes tollas ani-  
mi partus, quos perversitate indolis ac morum  
scelerosos, infames, omnique ex parte noxios,  
strangulari abs te necesse sit, frustram discer-  
pi, cinerari. Huius necessitatì lege divinâ tibi  
imposita, nihilo ægrius, & acerbius morem  
geres, quam si te oporteat filium manu pro-  
pria, ferroque jugulare: sunt autem libri, filii  
animorum, inquit magister Origenis Cle-

mens Alexandrinus. Præcipes animo emissio-  
nem illius in publicum fore quam plurimis  
causam offensionis & lapsuum; tibi exitium;  
horrebis interdum Christianus te tot suspiria  
tam laboriosis emissis studiis; hærebis tamen  
inter illos morsus conscientiæ terrentis, in ri-  
pa Rubriconis; vimque tibi ac Deo inferens,  
in extremam tuam, & aliorum cladem ibis  
qua cœperas desperabundus, & tacitâ rabie  
conclamans, *jacta est alea.*

Haud scio profectò ex duobus quid specta-  
turus essem curiosius; Abrahamum senem  
Isaacum suum in altari ligantem, manuque  
haud minus intrepida quam mente, ignem  
compositis ad sacrificium admoventem lignis,  
& sublato in ictum brachio, siccis oculis, &  
vultu eodem, in carissimi filii cervices vulnus  
ultimum vibrantem; an verò optimum libri  
pessimi auctorem, post elisos cogitationum  
pugnantium conflictus, amicorum suasus, &  
molitiones omnium dæmonum, addicentem  
igni suum illud opus, & manu eadem qua  
tot annos conceptum, elaboratum, syllabatim  
perfectum fuerat, spe certâ immortalis ad po-  
steros gloriæ cremantem, sequè unà suo cum  
partu necantem. Horum mihi duorum forte  
mitius videatur & levius, iussis Dei parere, qui  
mortuorum vita est, ut necdum natorum; &  
totas patris delicias filium occidi, quem poten-  
tia

rat Deus mortuum excitare; quam obtemperare occulto Dei imperio, & interioribus ejus aculeis, ad perdendum librum urgentibus, totum absolutum laboribus, & curis quot ferè sunt in eo characteres.

Amor tamen gloriae, & infractæ ambitus generositatis, ecquid Brutii animum perpulere ad filios patriæ rebelles, & publici hostes morti addicendos? damnavit Consul; non servavat ut pater; (a) patrem exuit, ut Consulem ageret. Sustinuit ligatos in oculis ad palum, & juvenes, & decori aspectus; quid plura? Filios: (b) Et qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit: Quid illud ejus cor vel temperavit in chalybem, vel tamdiu pectori exemit, dum & damnasset filios, & necasset?

(c) *Vicit amor patriæ laudumque immensa cupidio.* Tantum hæc valuit ut Patrem in eorum carnificem mutaret. Verum ubi sit filii justitia, & speratae unâ ex eo gloriae, quanto fortius est illum occidere, nec robur ad hoc aliunde quam ex mera virtute sumere?

Sed tam beatæ generositatis sperate factum vel optare quis possit? utinam vel possit impertrari ut tolerabili spongiâ deleantur saltem eas spurcitiae quæ libidinosum olenit & turpe, sic-

K 3 que

(a) *Val. Max. l. 5. c. 8.* (b) *Liv. l. 2. secund. 6.*

que liber superstes, si minus optimus, at certe non pessimus. Quanquam ad hoc etiam, ô nefas! respondeatur quod olim Romano Senatui, deliberanti de fluminibus ab ingressu Tyberis arcendis ad vitandas quas urbi invehabant inundationes; (*a*) *Nolle Tyberim prossus accolis fluvius arbatum minori gloria fluere: non ferunt verbo, vel apice sua minui opera, malunt monstrar videri integra, quam monstrosa sed truncata.*



## M A L E D I C E N T I A.

*Pronus ad obtrectandum genius,  
& ad hoc insita ingenio  
pravitas.*

**Q**uis credat in famam garrire alienam, tam dulcè sapere, ut hoc semel experiri, semper deinceps avidè repetant? Leo unguis cruentos si lambere cœperit, exinde perpetuè sanguinem esurit. Succis primoribus obtræstationis qui palatum, & linguam semel impuerunt, linguâ malint carere in posterum, quâma

(*a*) *Tacit.*

quam dictariis abstinere; nec prius ab iis desinunt, quam desinant vivere. Minuit illos non raro senectus decrepita capite, ac sensu; linguae aculeis & punctionibus vix unquam; ut nunquam rubos veteres orbatis suis spinis hiems; et si frondibus exuat, & ornatu. Sunz isti ut plurimum acuti natura, sed mittendis solum in alios jaculis; nunquam melius loquuntur quam cum pejus; nunquam luculentius quam dum urunt. Tota illorum industria in dietis, & jocis mordacibus, quibus parandis ingenium non minori fatigant sollicitudine, quam Orator Græcus in effendenda litera carina.

Audire istos Menippus, Zoilos & Momos, in alieno ludentes corio, musicæ instar est (ad quod lepidè id agunt) non qualem Pythagoras observarat in numeroso malleorum percussu: nam habent eorum calami plus de vulture quam de cygno. Parte alterâ fundunt scribendo atramentum, alterâ toxicum; qui erat Demosthenis stylus; immo atramentum ipsum est toxicum, quod ea venenat nominata quæ scribit. Ex quo similiter ut ii qui veneno extinguntur; nigra & livida in scriptis eorum apparent infecta venenatis ipsorum obrectationibus & dictariis illa nomina. Acrimonia, & solers vigor quæ solent esse in modestis ingoxia fulget, subtili luminis, sicut in his ful-

mina alatos ignes trahentia, & mortem  
cuspidi praefixam. Lucilium gerunt in  
pectore, (*a* qui primus condidit styli Nasum:  
In ore habent epigraphorum veterum lin-  
guam, quam Martialis definit (*b*) *linguam ma-*  
*lam.* Sed quantumvis dulcè & copiosè ca-  
nant, nunquam apes dicentur mellificasle in  
eorum labris, ut quondam in Platone; sed  
scorpiones, atque aranei. Ferrum denique  
amant tractare potius secando, quem sty-  
lum scribendo: & quantò id tractant sub-  
tilius, tantò acerbius & vivos & mortuos la-  
cerant.

Ut autem sunt luce hac & vitâ inter homi-  
nes indigni, ferinum quid animo premunt,  
dum amicorum quoque preculcant gratiam,  
ut scurrili dictorio plausum vilem, & susurrum  
emant:

— (c) *Dummodo risum*  
*Excuiat sibi, non hic cuiquam parcat amico.*

Quo nomine Comicus rectè illos *vulnu-*  
*rios dixerit,*

— *Qui hostēsne, an cives comedant, parvi pen-*  
*dunt.*

mode

(a) *Plin. prefat.* (b) *Prefat. l. 2. Epigram.*  
(c) *Hor. I. Sat. 4.*

Modò conceptum ridiculè dictum spuant,  
flocci habent mærorem, quo torquendus est  
vir bonus in quem jaëtatum est. Unum ut  
bellè succedat quod ludunt, (estò calvi Poe-  
ta caput excerebret testudo, dum suis carni-  
bus Aquilam, à quâ dejecta est, satiet.) Sic isti  
gaudent aliorum dolore; ignominiâ tument  
quam aliis inferunt; Bonarottæ artem æ-  
mulantur (si tamen is fuit) qui vivum homi-  
nem suffixit in crucem, ut expressius Chri-  
stum pingeret morientem; aut illud po-  
tiùs naturæ abortivum Neronem, qui Ro-  
mam succedit, ut ex patria miserabiliter, &  
crudeliter ardente, Troiæ canendæ exem-  
plum sumeret. Ah! nimium barbari acuto-  
rum risuum aucipes! Experiuntur Japonii  
suos acinaces in cadaveribus damnatorum, &  
de lenta illa vel facili membrorum sectione  
temperaturam chalybis æstimant: vos inhu-  
manius sœvitis, qui ludicræ gladiaturæ um-  
bitatili specie, mucronem desigitis in famam  
alienam, haud minus illi mortiferum quam  
ferrum corpori, quod *duas* (inquit Vegetius)  
(a) *Vincias adactum mortale est.* Scire tamen  
vos volo, Satyrorum patres & Satyrarum ar-  
tifices, deformiores esse, quod Semicapris  
quam formosos quod sint Semidei: nec tam  
similiter sales vestri mordaces placent, quod

K 5 acutis

(a) *Lib. I. c. 12.*

178 *Character Hominis literati,*  
acuti; quam displicent, quod malignum ex-  
tent & sapiunt. Sunt hidemum supremi eru-  
ditonis vestræ nifus? Sunt hæ divinæ cogita-  
tiones, quibus versandis divina vobis à Deo  
data mens est? Excelsum, proh nefas! ab or-  
tu sortiti genium, facitis illum ex Rege Ty-  
rannum, & vitæ civilis carnificem ex conser-  
vatore. Cadit in vos profectò illa in Peril-  
lum ab antiquo scriptore intorta execratio,  
quod fundendi æris in Heroum statuas &  
Deorum, artem innoxiam, vertiflet in tau-  
ri fabricam; in quo rei ardentes, cruciatibus  
& rugitu faturarent crudelitatem Phalari-  
dis. (a) *In hoc à simulachris Deorum homi-  
nūque dedecoraverat humanissimam artem.*  
*Ideò tot conditores ejus elaboraverant, ut ex eâ  
tormenta fierent? Itaque unâ de causâ servan-  
tur opera ejus, ut quisquis ilta viderit, oderit  
manus. Horum porro solet hoc esse suppli-  
cium, ut diligatur à nemine, vitentur à pluri-  
mis, cunctis odio sint; & illam vultu gerant  
Nasuti Satyrici notam, in quem lusit Græcum*  
*Epigramma:*

*Si meus ad Sobem statuatur Nasus, bianci  
Ore bene ostendet dentibus, hora quoniam  
est.*

(a) *Plin. E. 34. c. 8.*

Suum

Suum Diogēnes, Philosophiæ Cynicæ priu-ceps canis, seu palatium seu nidum habebat in dolio. Versabat ipsemet hoc Cœlum dignus sphærâ tam nobili motor. Ex hoc antro scitantibus reddebat oracula, vini magis quam veri odorem spirantia. Ex eodem suggestu aliorum mores studebat emendare, magno si hoc impetrasset miraculo, ut dolium homines redire ipsi sese compelleret, quod sollet extra se illos exturbare. Philosophantis vero qualiscumque foret, & quanta doctrina, illum enim Plato (a) *Socratem alterum vocabat*, sed *insanum*, quod tamen illo in dolio, Philosophiæ sincerae vinum mordaci aceto perpetuæ obtræctationis & maledicentiaæ miseret; pro discipulis habebat derisores, & totis Athénis habebatur pro cane rabioso.

Et verò lubens spinosæ Hystrici quis blandiatur, quæ nunquam ita cautè tangit, quin acriter pungat? Quis Scorpioni, (b) cui semper cauda inictu est? Quis amicum habere Leonem cupiat, qui ut parcat unguibus & denti, lingua est adeo aspera, ut lambendo quoque sanguinem eliciat? Sint sanctæ nobis preciūs honorati, quam infensi; sacrificamus illis, ut Rōmāni febri Diisque avertuntur, ne noceant; ambiamus ex iis hanc gratiam ut longè se semper a nobis abstineant, &

ad

(a) *Aelian. l. 14.* (b) *Plin. l. 1. c. 25.*

ad hoc tantum nostri meminerint, ut curent  
nunquam meminisse. Sequitur gravior ad-  
huc maledicos poena, non modò ut alios ab  
sua consuetudine avertant omnes, verum  
ut multorum in se proritent iras, & odia, &  
ferrum. Quamvis enim plerumque satis in-  
telligent, non esse stylo provocandos, qui pos-  
sunt gladio respondere, nec verbis laceſſen-  
dos forte per jugulum redituris; sed oportet  
re in eorum rebus, si minus cæcum, at ſaltem  
mutum ſefingere; vix tamen hoc à ſe tam fir-  
miter obtinent, ut incogitanter interdum non  
erumpant, & verba ſibi patientur excidere, qui-  
bus naturâ vel habitu affueverunt. Prudentius  
grues ſaxo rostrum obarmant, dum Taurum  
transmittunt, ne suis clamoribus aquilas illic  
in rupibus nidulantes ad prædam accersant.  
Instar bombycum hi ſibi carcerem ore pro-  
prioſtruunt, & muniunt, & eum qui poſſit,  
acriter stimulant ad elidendum ſcorpionem  
super eo quod intulit vulnere; confirmingantque  
reipsâ quod Pollio de Auguſto dixit, (a) ſtu-  
rum eſſe in eum ſcribere, qui potest proſcribere.

Non eſt ita prouitm ſemper invenire qui  
det ut taceas, & ex te silentium ſuis de rebus  
emat. Auctor quidem erat Alphonsus Rex  
Aragonum, medicatâ frugibus offa canes ab  
latratu vel morſu prohibere, quod illi Martia-  
nis cauſi dico objecit:

(a) *Macrobi. l. 2. Saturn.*

*Quæd*

(a) *Quòd clamas semper, quòd agentibus ob-*  
*strepis Oli,*  
*Non facis hoc gratis; accipis ut taceas.*

Atque ut taceant, non raro quidem accipiunt, sed hoc accipiunt unde in perpetuum taceant; quæ fuit merces illius Zoili, qui aut igne, aut lapidatione, aut cruce pœnam luit lacerati ore maledico Poetarum Principis. (b)

ꝝꝝꝝꝝꝝ:ꝝꝝꝝꝝꝝ:ꝝꝝꝝꝝꝝ:ꝝꝝꝝ

*QVI ERRAT SCRIBENDO,*  
*detrectare non debet emendatio-*  
*nem; nec illam, qui nescit vel*  
*exigere vel tentare.*

**N**emo est tam terfi, limpidique ingenii, quin excipiendâ scientiæ luce, aliquas mittat ignorationis suæ vel tenues, vel densiores umbras. Animos nostros antiquus sapiens ajebat ignem esse & lucem; sed ex corporum, quibus vegetandis addicti sunt luto, præter pigritiam quâ tardantur; fæculentos  
L item,

(a) *L. I. Epigr. 36.* (b) *Vi*

item, quibus obscurantur, vapores contra-here: proin flammæ in modum tristi fumo confusæ, celeritatem illam motus congeniti, ex parte amittere cum splendore nativæ claritatis. Hinc nasci dicebat valde operosam veritatis inquisitionem, & valde incertam ejus inventæ fidem. *Quamobrem hanc veniam petimusque, damusque vicissim*, ut aberrantes subinde à scopo, haud tamen doctorum circulo excludamur; ut nec Luna cælo expellitur, et si aliquando defectione obscuretur.

Et verò quis ferat homines aut venditandis suis, aut propugnandis alienis sic addictos, ut velint ea pro oraculis haberi, erroris expertibus; & pro auro omni suspicione metalli alterius planè eximio? S. Ambrosium audiant, qui sua sic deosculantur tanquam filiolos; Patris amore, judicis animum obturbante, & iniquiorem ex Patre meliori ferente sententiam. *Vnumquemque fallunt sua scripta, & auctorem prætereunt: atque ut filii etiam deformes, delestant parentes; sic etiam scriptores indecoros quoque sermones palpant.* De aliorum operibus, Augustinum legant, tum aliás, tum epistolarum tertiarā, ubi profitetur, adoratorem se esse veritatis, non auctorum, & rationum magis, quàm dictorum; à quibus discederet, cùm à ratione discederent. *Talis sum ego in scriptis, aliorum tales volo intellectores meorū.*

Hac

Hâc imbuti persuasione , prudentissimi  
qui que, ex iis, quæ elucubrarunt, nihil prius  
judicio publici committunt, quâm intimi cu-  
juspia m̄ sui censuræ crediderint, sed cordati, ac  
fidi, qui cum lanistis, ad discipulos batuentes,  
dicant pro imperio , *Repete*. At si non ante,  
quâm missis in lucem libris , deprehendant  
se reos esse alieujus nœvi , manu ipsim et spon-  
giæ admotâ castigant, retractantque ut boni  
pictores opus nondum arte ultimâ perfe-  
ctum; sed illo adhuc Polycleti, & Apellis so-  
lenni suspensum lemmate, (a) Faciebat , tan-  
quam inchoatâ arte & imperfectâ, ut contra ju-  
dicatorum varietates superesset artifici reditus ad  
veniam, velut emendaturo quidquid desidera-  
retur ; si non esset interceptus. Hujus clarum  
præbuit documentum, vir sanè clarus Hippo-  
crates , quem sua quædam non puduit defra-  
cturâ capit is revocare. Cùm tamen seriū inter-  
dum auctores advertant animum in errata,  
quibus publicè vulgandis viam incogitantiū  
præivere; aut antevertantur ab aliis in ferendâ  
plagis medicinâ ; recti verique amantes, ac  
probi judices, id sibi dedecori non adscribunt,  
injuriosum non reputant , non irascuntur,  
nolunt suos errores publici regulam fieri;  
quod in veteribus Romanis hodièque ridetur.  
Ii enim planè rudes matheseos , mendaci so-

Iario metiebantur urbana negotia, (a) *Non enim congruebant ad horas ejus linea*, omnino, (inquit B. Augustinus,) (b) *nimiris perverse se amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat.* Cuivis potius, si verum amat, æque nihil esse cordi decet, quam ut tum ipse, tum alii atque hi multò magis quos amat, errare desinant. (c) En paucis, quod sentit Augustinus vir, haud scio, mente an modestiā major. *Non pigebit me sicuti hæsito quarere; sicuti erro discere; proinde quisquis hac legit, ubi pariter certus est, pergit tecum; ubi pariter hæsitat, querat tecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me.* Et hæc quidem modestiæ officia, ut spectent scriptores; multò magis ad eorum lectors perrinent. Nam si pensi nihil habent optabilioris, quam ut in lapsus auctorum involent & carpant, idem faciunt ut vultures, qui putridis carnibus pascuntur lautiùs: Idem ut corvi, qui rostris avidioribus in cadavera rapiuntur; idque agunt fermè licentiùs, perinde ac si nusquam esset ab errore omni securitas, nisi int notandis erroribus alienis. (d) Certum tamen est S. Ambrosii effatum: *Sapè in judicando majus est peccatum iudicii, quam peccati illius, de quo fueras*

(a) *Plin. l. 7. 99.* (b) *Ep. ad Marcellinum.* (c) *L. 1. de Trin. c. 2. & 3.* (d) *2. Apol. David. c. 2.*

*Maledicendi pruritus, Pars II.* 185  
*rat judicatum. Est hic tamen eorum agrestis*  
*& inurbanus tumor, (a) qui ob trecentione alie-*  
*nâ, scientia famam aucupantur:*

*(b) Ferulâsque tristes sceptra Pædagogorum,*

Semper gerunt , iustum auctoribus quos  
legunt minantia; non minus hoc sibi arrogato  
imperio superbi, quam alii sceptro. Hinc tot  
litium tricæ , tot apologetici tractatus, ne di-  
cam paratragœdias, & singularium spectacula  
pugnarum inter scriptores etiam minimè vul-  
gares , qui multum ætatis , & sudoris in hanc  
gladiaturam projecerunt. At enim cui bono?

*(c) Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.*

Hoc verò est cachoetes prorsus non præ-  
tereundum velocibus oculis, sed aliquo, si po-  
test , medicamine curandum.

Imprimis igitur, cum hominem video, qui  
venter sit totus, & totus lingua, (quod in De-  
madem dixit Antipater,) prægustatorem se  
ferre auctorum præstantium , & in scriptis  
illorum aureis damnare, quod minus intelli-  
git ; quod parum arridet , rejicere ; quæ man-

L 3 dere

*(a) Plin. Pref. (b) Mart. (c) Lucan. lib. 1.*

dere nequit, arrodere: cùm fœmineum video  
 cerebrum in divino Theophrasto ignoran-  
 tiā arguere; & quod olim superba Ompha-  
 le in Herculem ausa est, sic ad pensa & colum  
 destinare Theophrastum: cùm audio Valen-  
 tis cocum Demosthenem , velut dictandis  
 condimentis evasisset doctissimus , Basiliī  
 magni Theologiam notare quasi & insulsam,  
 & sapientiæ sapore vacuam : cùm hypodida-  
 scalus Joannes Ludovicus Divum Augusti-  
 num accusat inscitiæ , & (*tanguam sus Miner-  
 vam*) docere illum aggreditur dialecticas ar-  
 gumentorum formas ; magnūmque illum  
 Archimedem totum ex ingenio & mente,  
 qui adversus Dei , & fidei hostes quot argu-  
 menta,tot fulmina condidit, indubitatis prin-  
 cipiis ad dialecticas formulas in necessitatem  
 consequentium revocatis : videre mihi vi-  
 deor *exeuntes de cavernis mures* ; & paleis ha-  
 statos , in leones impetum facientes; ranas a-  
 quam stagni Dianaæ turbare , ipsamque ad-  
 ed , si possint , undis absorbere molientes  
 Deam ; rudentes asinos ut in fugam gigantes  
 agant. Hos (inquam) Aristarchos dum cerno  
 in pungendis , delendis , castigandis , virorum  
 illustrium scriptionibus occupatos , recurrit  
 animo imprudentissimus asinus , qui ore spi-  
 nosis & carduis assueto , ausus est totam  
 Homeri vorare Hiadem, eò Trojæ majori vel  
 pudore

pudore vel infortunio, quò fuerat olim honoratiüs illam ab equo Græcorum perire, quam tunc ab asino.

Moriebatur Aristides, multis militaribus palmis clarus, & moriebatur venenata vilis bestiolæ punctione. Quare dolebat se in glorium mori, & tam vili ab hoste. Optassem leonis unguibus disceptus, elephantis proboscidi attritus interire. Doleant justius quos dixi, doctrinâ insignes, & orbis magistri, dum se vident configi non ab eruditis, sed à coquis & fœminis. Stellas, si sensu non carerent, puderet videre immensas lucis periodos in angusta coactas solaria, quasi joco traductas puerili. Indignarentur factam cælo injuriam, & meatus suos (inquit Cassiodorus) fortasse deflecerent, ne tali ludibrio subjacerent. Quid ergo acturos putemus tam multos in omni genere literarum eximios, & Doctorum quondam admiratione glriosos, si nunc è sepulchri silentio audirent taxari se quà cæcos, quà simpliciores, quà imperitiæ non servendæ; idque ab hominibus, non dico, qui satis non sapiant, sed quos si sensu metiaris, non satis homines censeas? qui ut rudi popelli aucupentur plausum, & ab ignaris Alcidæ, ac Samsones putentur, mentum leonibus mortuis depilant.

Secundò contingit sæpius, ut errori aliis

L 4

adscri-

adscribamus, quod est meræ nobis ignorantiae imputandum: possetque in nos meritò cadere, quod in Julianum apostatam retorsere sancti Antistites, cum lectum sprevisset S. Apollinaris Apologeticum. Legisti, sed non intellexisti, idcirco neglexisti. Si intellexisses, minime improbasses.

Romanis etiam in pacis otio, ab armorum scholâ, nunquam indulgebatur justitium. In hac prima erat lanistæ præceptio, ut dum adversario vulnus intenderent, nunquam se illius gladio prorsus detegerent; ne ille dum vulnus depellit, eâdem operâ inferentem citius feriret, quamvis posset ensim vibratum retrahere, & suo se gradui reddere. (a) *In qua meditatione*, inquit Vegetius, *servabatur ista cautela, ut ita tyro ad inferendum vulnus assurgoret, ne quâ ex parte pateret ipse ad plagam.* Sit hoc item primum ac primarium præceptum illi observandum, qui contra scriptorem stylum movet, ne dum ejus incusat insciatiam, suam ipsem inconsideratè aperiat. Nam labyrinthum ingressurus, ut errantem ex eo extricet, nisi filum teneat, cuius ductu inde se explicet, risui fiet Diogeni misellos grammaticos incessenti, qui dum in Ulyssis erroribus scrupulosius notandis toti essent, suos ipsimet non cernerent.

Non

(a) L. I. c. 12.

Non ante aliis parandus est morsus, quām sapientiæ nascantur dentes, quos ait Philosophus erumpere tardius. Instructu dupliciti opus est errantem corrigere volenti, doctrinæ scilicet, atque ingenii; ut sit ipse erroris certus, & inculpata videlicet ejus correctio. Quoties auctorum male percepta mens, in ictus nos armat, Mutii Scævolæ; qui servum pro Rege, quem petebat, occidit. Impugnantur dicta, quæ nunquam dicta sunt, ac ne in somnis quidem cogitata. Impetimus infestis gladiis simulachra, quæ ipsi finximus. Si praemissus fuisset à nobis certamini fidelis amici oculus, Sybillæ nobis exhibuisset officium, ne cum Æneâ rueremus in pugnam & vulnera, contra umbras vitâ & corpore carrentes.

Tertiò non est ullus mortalium laceſſendus, æſtimatâ illius eruditione de solo, quos edidit librorum examine. Laceſſito nimirum exſcit ingenium indignatione; excitantur ſopiti ſpiritus, & accidunt in opem, quò vocantur. (a) *Vt in lucernis oleum eò fluit ubi exuritur.*

Quām multos vidimus, qui aureæ venas eruditionis, & fontem ingenii uberem celabant animo; cùm ſe laceſſitos viderent contemptu, velut parciūs asperſos literis; experge-

L 5 factos

(a) *Sen. l. 4. qu. nat.*

factos subitò prodiisse in arenam, & suis æmulis dolendum provocationis incautæ decus reliquissè? Quà certè in re similes eos dixerim rupibus, quæ sunt metallis gravidæ; telo enim fulmitis si petantur, mittunt ex eo vulnere augustum specimen, & indicia opum, quas premebant; jamque aurei celebrantur montes, qui moles saxorum inutiles credebantur. Quàm multi, quos cerebri frigus, obtusi sensùs effecerat, & pigritia naturæ durarat in silicem; ad styli pugnam provocati, non scintillas eo ex silice, sed jactus fulminum explosere? Estne aliquid stupidiùs asinâ? Balaami nihilominus avarissimi prophetæ asina indignanter magis, quàm justè percussa, in defensionem sui eloquens facta est. (a) *Balaæ, (ait Chrysostomus,) erat asinus, animal omnium hebetissimum, nec minus bene se defendit apud eum, qui ipsum pulsabat, quàm homo præditus ratione.* Mutis quoque, ut Croæ filio, defendendi sui necessitas linguam solvit, insiti amoris miraculo; cui nihil mirum est effari, quod nunquam didicit.

Quot sive invidia, sive rabies pugnandi contrâ, vel opinionis magnæ ambitio impotens, ex aliorum depressione sibi comparandæ, egit in amentiam Semei, quem scribit (b)

Theo-

(a) *In Psal. 47.* (b) *Prafat. dial.*

Theodoreetus ex lapidatione Regis sancti, famam quæsisse impudentem. Incauti hujusmodi homines, quos agnosceret, & styli mucrone impunè propitari posse existimabant; sensere poste à leones, optaruntque, sed tardè, se campo subducere:

(a) —— *Galeatum serò duelli  
Pœnitet.*

Sementem Cadmi, dictis mordacibus & serpentum dentibus cùm fecissent, armatum ex illa repentinus surrexit exercitus:

(b) *Messis cum proprio mox bellatara colo-*  
no.

Cepisse illos cicadam pœnituit, auditoque illius importunissimo stridore, voluissent vel manu caruisse cùm caperent, vel certè auribus, cùm audirent. (c) Cum Deo Apolline, quem pastorem rebantur, Marsyam commisere: ubi verò sibi tanquam bobus detrahi pellel experti sunt, poscere veniam cœperunt; & promissis lanium mulcere, sed irritis. Nam qui pellel volebat, dari sibi verba non

L 6

pasilius

(a) *Iuvén.* (b) *Ovid. Metam.* (c) *Lucian.*  
*in pralud.*

passus est; nec se vinci precibus, qui cantu vi-  
ctor exriterat. Viperis demum & aspidibus  
circumsepti , præter suam temeritatem nihil  
dolere , nihil queri potuerunt, ut qui suâ te-  
meritate se in illud periculum induiscent. Sic  
qui monstris in Africâ pluribus, quâm hosti-  
bus cinctus. (a) *Nil Africa de te (inquit)*

*Nil de te natura queror. Tot monstra feren-  
tem,*


*Gentibus ablatum dederas serpentibus or-  
bem.*

*In loca serpentum nos venimus.*

Sortem hujusmodi miseram naestus est  
Ruffinus, nihil reveritus magnum Hierony-  
num tentare, glorioſiusque ſibi fore putans  
hujus æmulum fieri , quâm atpicum. Ex-  
pertus deinde grandi ſuo damno, quâm eſſet  
habilis in collineando, quâm gravis feriendo  
ſancti viri manus ; voluit ſe pugnæ subtrahē-  
re. Questus eſt ſe in ſontem plecti : veri a-  
more, non animi perturbatione ſe ſcripſiſſe,  
quæ ſcripſerat : non eſſe inter Christianos,  
præſertim Monachos, ſtyli ductus habendos  
pro iſſictis ferro vulneribus , cui Hierony-  
mus : *Eſto, me nescius vulneraris, quid ad me,  
qui percussus sum? Num idcirco curari non de-  
beo.*

(r) *Luca.lib.n.9.*

*beo, quia tu me bono animo vulnerasti? Confos-  
sus jaceo: stridet vulnus in pectore: candida prius,  
sanguine membrana turpantur: & tu mihi dicas,  
noli manum adhibere vulneri, ne ego te videar  
vulnerasse?*



*LVBRICVM SCRIBENDI AD-  
versus alios , & pro se nego-  
tium, & apta utrique monita.*

PARUM est hactenus monuisse , parcè ab literis , largè ab audacia instructos , non esse futori ultra crepidam surgendum ; nec tollendos in vulnus , quem designaverit Apelles , censores oculos ; quos cum non habeat nisi magisterii tanti rudes , linguâ pariter careat , opus est ; ne quid damnet , quod non intelligit. Supereft videndum , de altercationibus inter doctos , ne transgrediantur juris & recti metas , sive impugnant aliena , seu propugnant sua. Primum illud impugnandi aliena studium & certamen solus veri amor moveat oportet. Scriptorem is amor , tradito in manum innocentij stylo , militem suum creet : magistram præficiat scribenti modestiam : stylum doceat in errorem acuere , &

agere, ut chirurgi scalprum, in levandum quādam intemperie morbi brachium; non ut milites infestam in hostem lanceam. Hominis denique alienos scriptorum errores notare volentis hæc sit in primis cura, probum in hac censura præferre & agere, de Christi porticu, (a) hoc est, de sapientiæ scholâ, discipulum. Cujus labra non rosis, et si sunt labris colore persimiles, comparantur, sed liliis; non tam (ut piè Theodoretus vidit,) ob veri candorem, procul adscititio ornazu, Christi ex ore splendentem; qtiā ob innocentiam floris pulcherrimi, nullisque in hostem aut vulnetandum, aut carpendum, spinatum aculeis asperati. (b) *Flos sublimis*, (ait Ambrosius de Christo, liliis adumbrato,) *immaculatus, innoxius; in quo non spinarum offendat asperitas, sed gratia circumfusa clarescat.* Dum pugnant stellæ in Sisaram, nec ordinem, nec gradum, nec cursum mutant aut deserunt, sed potius (c) *manentes in ordine, & in cursu suo contra Sisaram pugnaverunt.* Est hoc plane idem officium scriptoris adversus alium pugnantis, inctuente quidem certamine, sed victoriæ gloriâ non levi. In quo ante omnia cavendum, ne in cursu dicendi pro re suâ, excutiatur ephippium

(a) *Cant. s.* (b) *L. 7. in Luc.* (c) *Indic. c. s. n. 25.*

pii scandalis , & ingenii laudem turbulenti animi vitio deterat; ne fastum Platonis proculcet fastu Diogenis : ne reum se culpæ constituat, dum alium culpat. Porro aliquem erroris aperti convincere , idem est, quod manum hianti vulneri admovere , & fundo tenuis illud explorare ; quod exquisita eget cautione, ne vulneris dolorem ex curatione graviori , deliquium animi sequatur.  
*[a)* Jubet Hippocrates ægroti oculos subtilibus lineis siccari, mollibus spongiis purgari vulnera, habili utrumque, & suspensa fieri manu. Ante illum Raphael , senioris Tobiae doctior medicus præcepit filio, patri osculum daret, priusquam felle ipsius oculos liniret: *(b) Osculare eum, statimque lini super oculos ejus ex felle isto.*

Parem profectò necesse est industriam afferat, qui illuminandos errantis oculos suscipit; ne fel erroris exprobrati, ab amoris osculo disjungatur. Nam etsi nuda lapsus illius vulgatio collyrium est quoddam, pungit tamen, & leniendum est.

Scripturus Carneades in Zenonem rigidoris Stoæ patrem ac principem , copioso helleboro stomachum purgavit, à bile præsertim , ne quid scribentis ingenium moleste

*(a) L.de Medic. (b) Tob. ii.*

stè obturbaret; (a) *Et ex corruptis in stomacho humoribus, ad domicilium animi redundares.* Qui purgatissimo se putat cerebro, iisque impugnandis pari, quæ emendare instituit; bilis nihilo secus amarorem penitus exuere studeat, non modò ut doctrina ipsa pro qua pugnat, sed ejus etiam propugnandæ modus culpâ vacet. *Affectus animi, rationis harmonicæ vocibus consonet;* nihil durum stylo, nihil extra concentum excidat: sacrificet Gratiis, priusquam in pugnam descendat; quod ut faceret, auctor erat Xenocrati Plato, (b) nimirum ut ejus ferociam aliquo gratiarum temperamento leniret. Cum Lacedæmoniis denique, prudentibus illis & fortibus, non ad mugitus tympanorum, sed ad tibiæ cantus prælium ineat. Quod factitatum ab iis refert Thucydides, (c) *ut modestiores, modulationesque fierent.* Tranquillus alioqui lector incomposito offensus, ac turbido scribendi charactere nauseabit, & objiciet, quod æmulo suo Philemoni, & imperitiâ Judicum etiam victori Menander Poeta: *Quæso te, bona venia, dic mihi, cum me vincis, non erubescis?* Probentur quantumlibet, & suspiciantur quos vibrabis ictus; si tantumdem ad pugnam modestiæ, quantum roboris non feres;

(a) *Gell. l. 17. c. 15.* (b) *Laërt. in Xenoc.*  
 (c) *L. 2. c. 11. apud Gell.*

res; ex eâ titulum reportabis, quem Romæ secandi & urendi liberalior feritas chirurgo fecit, ut pro chirurgo carnifex diceretur.

Impeditior est pars pugnæ altera, & difficilius intra metas officii se tenet, cui provocatio ut dolendi jus liberius videtur tribuisse, sic & ulciscendi. Est hæc inter procel-las decumana, ad quam clavo est opus moderationis non vulgaris; sed summum obtin-entis in se, suosque affectus imperii; quos nunc vidomet, nunc deludat; nunc eorum impetus aut frangat, aut exeat. Illud *inculpata moderamen tutela*, in defensione sui, est adeo lubricum, ut perinde sit ejus lineam tangere, neque transilire, ac per montis declive invitis pedibus præcipitare magis, quam currere; mole corporis descensū impetum, ultra destinatum, passus aliquot rapiente.

At verò si taceo, dedo me confitentem reum; si minus audenter respondeo, quod erat innocentis modestiæ dictatum, reprehensionem facio conscientiæ culpam agnoscen-tis. Fio scriptorum mimus, & vulgi ludibrium. Nam Jovis quoque faciem & barbam prætexunt araneæ suis telis, & prætexunt securæ fulminum, quorum facem præ-tendit quidem Deus, sed ligneus. Sed enim quòd sæpè ii, qui calamo pugnant, uestes è conflitu reportent laceras, & ora livida, do-cumen-

cumentum est omnibus salutare, cavendi, ne calamum in eos insolentiū acuant, qui valent suos ipsi calamos in tela convertere, & pro atramento fel; pro punctionibus plagas reponere. Sic videmus excusa nubibus fulmina cadere (*a*) *multorum metu, paucorum periculo*: Unum quempiam, eorum ignibus coruptum ardere; omnes gelu & metu præstrios rigere; & ab cælo timere quamlibet sereno, cum tam terribile fulminet iratum.

His moti complures, indignationi se tradunt penitus, & rationibus suis propugnandis nullam admittunt rationis metam; nec vident miseri, disputantis iras argumentum esse imbecillitatis, & præfagum causæ amittendæ signum; è contrario quiete animi, & oris risu portendi victoriam. Sic ille Sidonius Apollinari amicus princeps, tunc se concertando victorem rebatur, cum id adversarius indignatione proditâ fateretur. (*b*) *Oblectabatur* (scribebat Sidonius,) *commotione superatus;* Et tunc demum credit sibi cessisse collegam, cum fidem fecerit *victoria sua bilis aliena*. Ad hæc æmuli cuiusvis, ut nullum est operæ pretium petitiones omnes depellere, (nam bellè negabat Xenocrates (*c*): tragœdiam, responso dignari comedie scommata debere) sic valde dedecet depul-

(*a*) *Sen. de clem. l. i. c. 8.* (*b*) *L. 5. ep. 2.* (*c*) *Laërt.*

depulsiones omnes et si necessarias, temperaturā cādem tintas reponere. Si tela extra vivum pendent, ut quid angi perinde ac furere, ac si vitalia persuasissent? Centum sagittas, succusū corporis, imbelles, Elephas sine ictu reddit, dum tantum,

(a) *Motâ cute discutit hastas,*

Quin est adeò subindē aperta nostra ratio, ut licet supervacaneum minime sit, quid addi posset indicare; melius tamen spēnatur velut otiosum. Nullum est animal hystrice in defensionem sui armis instructius, in aliorum vulnera promptius.

(b) *Externam non querit opem: fert omnia secum:*

*Sepharetrā, sese jaculo, sese utitur arcu.*

*Ynum animal cunctas bellorū possidet artes.*

Haud tamen propterea sagittis omnibus quibus horret tota, & toto corpore, irritantem petit. Rem unā si conficit, alteram non addit; ac si minari sufficiat, non ferit:

————— *Iraque nunquam  
Prodiga telorum, cantē contenta minari.  
Spinas*

(a) *Lucan.* (b) *Claud. in b.yst.*

Spinas arrigit tantum, & intento velut ar-  
cu monet, *Heus ! heus ! cave.*

Hunc modum tenuit Tertullianus contra Valentianos. (a) Ostendam, inquit, sed non imprimam vulnera, si ridebitur alicubi, materiis ipsis satis est. Multa sunt sic digna revinci, ne gravitate adorentur. Verum enim verò ubi periculosi momenti res, & intoleranda provocantis acerbitas, nec tacere, nec dissimilare sinunt; eatur sauvè animosè. Omnes ingenii & doctrinæ, omnes rationum, omnes artis & eloquentiæ contendantur nervi: explodantur cum tonitru fulmina, non quæ graveolentiam fulguris secum vehant; sed quæ afferant illustrandæ veritati, lucis purissimæ candorem: non quæ furore incondito rapiantur; sed quæ librentur, æquâ ratione. Suus insit Jano bellorum Deo vultus duplex; juvenis, & senis; robusti, & cordati; moderati, sed acris & vividi. Ne queratur vir Sanctus, (a) quod tanquam lupi in adversarios ruamus, sepe sine victoriâ, qui tamen vincemus, si oves essemus à Pastoris officio non recedentes, qui non lupo rum, sed ovium pastor est.

Felices literæ si magistros haberent Apelli & Protogeni similes, qui amicâ certarunt æmulatione de subtiliori diversi coloris linea,

sic

(a) Cap. 6. (b) Chrysost. Hom. 34. in Moseb.

sic superducendâ subtili lineæ , ut neutius  
violaretur color : Si tela quibus inter se pug-  
nant,

(a) *Arma juris essent, non furoris :*

Si non essent maledicentia spicula sed ra-  
dii veritatis. Verum quicquid tandem, & un-  
decumque sit ; experimur ingeniorum lites  
*ex civilibus in causas transire captales*, esset-  
que meo judicio magis optandum ad salutem  
Reipub. ubi publici boni mens aliud non sua-  
det, ut ipsa mutaret enses in vomeres ; & ex-  
colendis propriis ingeniis potius incumbe-  
rent singuli, quam impenitentis alienis. At si  
tantus quibusdam belli est amor , & impa-  
tientia quietis alienæ , desunt scilicet ( inquit  
Hieronymus, renuens cum Augustino des-  
cendere in certamen ) desunt errorum primi-  
pili, Hæretici, Athei, & salutis venalis Politici,  
quos petas, quos impugnes ? Prætermi-  
tantur homines, occiduntur feræ ? Canatur  
cum Entello, Daretis vice bovem occidente,

*Hanc tibi Eryx meliorem animam pro more  
Daretis  
Persolvo, hic vîctor casbus, artemque repono.*

PRÆ-

(a) *Cassiod. l. 7. for. I.*

—•—•—•—•—•—•—•—  
**P R A E F I D E N T I A  
E R U D I T I O N I S.**

*Magnifica suæ in literis doctrina  
opinio, alienæ vilis contemptio.*

**N**on est hominis tam angustum caput, quin ut uter Ulyssis plures claudat ventos, fastu omnes, & præfidentiam tumidos; parésque tūm turbinibus, ad miscenda cum terris matia; tūm subterraneis vaporum fumis, ad succutiendam terræ molem. Non runt hoc pro virili suâ literati quidam, scipis dicam pleni, an vacui? quorum illud sibi præ aliis eruditio arrogat,

(a) *Ast ego qua Divum incedo Regina;*

*Quique se triumphali curru circumferunt,  
& eminent cæteris ab humero & sursum. Iis  
montes reliqui velut Olympo cedunt, & re-  
conditionis cujusque magistros scientiæ, vix  
ad oscula pedum, aut genuum dignantur ad-  
mittere.*

(a) *Virgil. lib. i. Aen.*

mittere. Soli ipsi sunt mundi Soles, illuminandis obscuris nati, & obtenebrantdis sua nimia luce splendidis. Istos difficile statuo an esset miserabilius defleturus Heraclitus, an risu liberaliori lusurus Democritus. Estne quæso Philosophi lachrymis, an vulgi fannis dignus Alexarchus ille sua opinione Grammaticorum Alpha; qui suam Cœlum arbitrabatur scholam; positos circum scansilium ordines, sphærarum flexus cœlestium; auditoriū stellas; præceptiones suas, lucem; nomina, verba, pronomina, signa Zodiaci totidem; se verò Solem ipsum, quo & dici volebat nomine, & pingi schemate. Nec vacabat apud illum culpâ, qui fixos in eum mitteret oculos, nec ejus perstringi videretur splendore. Hunc certè Tiberius mundi cymbalum convenientius nominasset, quam Appionem, & ipsum Grammaticum, & sui admiratione tumidum, sensuque vacuum. (a) Quid ille alias Rennius pila potius ventosa cognominandus quam Palæmon, qui publicas obibat vias calamitatem mundi lugens; ut quem post suum è vivis discessum, eadem quæ prius, exceptura esset ignorantia? Literas enim ajebat secum ortas, secum pariter morituras. Nullam certè quidem ad Epitaphium mortuo scribendum, literam quisquam adhibuit. Sed huma-

num

(a) *Plin. pref.*

num supergresta modum Alphonsi X. Castellæ Regis superba mens, & plusquam divina sui confisio, nihil reperiet æquale. Profitebatur ipse astronomum, dicunturque nunc etiam quædam astronomicæ tabulæ illius nomine Alphonsinæ. Qua tamen in arte nec tantus, nec tam potens erat, ut ejus humeris Cœlum Atlas auderet credere, absque periculo ruinæ. Verum cerebro suo tantum arrogabat, ut dictaret si Deo adstitisset, Cœlum componenti, & suas stellis scribenti periodos, meliori consilio docturum fuisset, quo pacto suum illum laborem ordinatus digeraret, & proportionibus mutuis convenientius aptaret. Quærat nunc Deus ex Jobo arcam illud supra nos positum, (a) *Nunquid nosti ordinem tœli, & pones rationem ejus in terra?* Scholam Alphonsi si adibit Deus, promptum sibi ejus in astronomicis magisterium habebit: & si suas secum sempiternarum idearum deferet tabulas; emendabit illas Alphonsus, delebit, castigabit, cœli formam & mundi exemplar meliori ordine disponet. Non potuit aliud præter stultitiam, ab hujus capite, offensi cœli *in quod posuerat os suum,* arcere fulmina. Ejus ergo Deus insaniam missetus potius quam iratus curavit; detraxitque homini coronam de capite, ut ex frontis venâ,

(a) *Roderic. Sanc. Hisp. hist. l. 4. c. 5.*

venâ, tanquam stulto sanando, sanguis mit-  
teretur. Docuit illum coeli motus non po-  
tuisse ab illo melius designari, qui Regni mo-  
tus, & eversionem, nullis suis astronomiæ re-  
gulis, & politices calculis emendare, & resti-  
tuere potuisset. Domo pulsus ipsomet à filio,  
& exul in terrâ alienâ vivere desit.

Alexarcho autem, & Rennio quin etiam-  
num hodie sint plerique stultitia suppares,  
ambigi non debet. Flores sunt omnium tem-  
pestatum, hujusmodi homines, & nunquam  
marcescunt. Horum imaginem qui volet, fu-  
mum pingat ingentem, qui quanto se altius  
ad nubes tollit, tanto inflatur tumidius, &  
magnis se voluminibus diffundit. Picturam  
porro hoc lemmate animet, (a) quanto  
*grandior tanto vanior*. Istos de se magnifice,  
contemptim de aliis, & abjectè fabulantes  
cum audis, advertas illico quam verè in eos  
quadret illud Philippi Macedonis ad medi-  
cum suum, *Philippus Menecrati salutem*.  
*Quod fuit medico medicum fieri*, & hoc hel-  
leboro ejus cerebrum curare. Delitabat su-  
perbè insanus medicus tam stultum in mo-  
dum, ut suis ad Philippum præfigeret literis  
*Menecrates Iupiter, Philippo sanitatem*. Ja-  
Etant hi nihil esse in scientiis sublime, quod  
suo pallio non involuant; nullas doctrinæ

M

gem-

(a) *August. Psal. 36.*

gemmas, quas conchâ non claudant; dictata  
nusquam ulla; quibus in mari literarum na-  
vigeret tutius quam suis; nulla documenta;  
quæ veri ultimas, & recti metas pertingant  
certius; denique (ut ait de stellis Manilius, )

(a) *Altius his nihil est, hac sunt confinia mundi.*

Fontes alios scientiarum & rivos duntaxat  
esse jactant, se vero Oceanum; alios talpas,  
se lynceos; papiliones alios, & muscas, se  
aquilas;

*O medici, medici medium contundite ve-  
nam.*

Ventis saltem exitum laxate, quibus eo-  
rum ruinpuntur capita; quod assequemini  
eorum oculis in pauca sed clara veri lumina  
deflexis.

Primò sua cuique quantumvis exigua,  
nunquam non magna sunt. Privati amoris  
speculum concavum pro pilo truncum illi  
reddit, & pro culicibus Pegasos. (b) Hunc re-  
rum suarum qui cupit judicem, eas æquæ  
magnifice prædicat, ut olim se suâque Clites  
ille, qui naves Græcorum tres à se depresso  
vidit, perinde efferebat sese, ac si fugatus Xer-  
xes

(a) *Lib. I.* (b) *Plut. orat. 2. de fort. Alex.*

zes effet, injectique Oceano compedes; quinetiam se Neptuno potentiam parem existimans, semper exinde Neptunus vocari voluit.

Quæ causa Lunam terram quadragies minorem, Soli nobis æqualem exhibet, terram centies quadragies majori? nisi quod Luna quod terræ propior, hoc major oculis apparet; Sol è contra ob longinquitatem immensis ab ea spatiis disjunctam ideo minor à nobis conspicitur. Similiter quia nemini quicquam vicinus quam suum cuique, hinc majus semper, & mirabilius alieno se nobis ostentat; alienum verò quod extra nos est positum, & à nobis longinquum, prope oculos fugit. Deinde Gryllos quis dubitet formicis compositos Gigantes putare? Qui paucillum id quod scit ex eo metitur, quod novit is qui nihil didicit, putabit se ex eâ nimirum comparatione literatissimum. Qui Athenas petebant studiorum causa, eos dicebat Menedemus (*a*) illuc magistros ire, discipulos ibi fieri, inde redire imperitos; non modò quod quanto severioribus calculis computabant quæ scirent, tanto plura esse deprehenderent quæ nescirent: verum quia in illo academiarum flore ex orbis totius ingenii delibato, tam multos, & tantos audiebant,

M 2

ut

(a) *Plutarch.*

ut iis comparati, profiterentur se nihil scire. Hac arte Socrates Alcibiadis sui fastum sapienter depresso, qui hæreditario tumens censu, & immensis præterea auctus fortunæ opibus pro cive monarcham se ferebat. Geographicam illi objecit tabulam, ubi Europâ primum indicatâ, dein Græciâ, in hac Athenas vix tandem reperit; in quibus, age-sis, & tua mihi (inquit) ostende palatia, & tuam illam agrorum infinitatem valtam; hæc si locum in mundo non habent, qui possunt tibi spiritus afflare hominum omnium contemptoris? Qui se velut stellam magnitudinis primæ circumspicit, ne se cum minoribus componat; obvertat in Solem oculos, suamque mox seniet cum luce ambitionem vanescere.

Tertiò, arrogantiæ est minimè ferendæ ubi magnus es inter multos, velle esse de majoribus unum, & inter maiores maximum. Quam olim Pompeii superbiam damnabat odio suo Roma, (a) qui ut primum Rempublicam aggressus est, quemquam animo parem non tulit, & in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat. Excellas quamlibet in omni genere literarum, Phœnix non es, nec princeps mobile quod suo impetu minores globos circumagat.

Nemo tam multa scit, ut præter ipsum alii nihil

(a) *Velleius l. 2.*

nihil sciant, ausitque iis illud Caiphæ exprobrare. *Vos nescitis quicquam.* Non fuit natura tam sterilis ut eum te fingeret, typum tui aliis non servaret ; nec adeo egens, ut omnes ingenii opes in te conferret unum , mendicitate omnes alios damnaret. Ut quid ergo te tantum miraris ; ac veluti nemo sit qui possit ex æquo tecum stare, deliras tam largiter, ut dicas cum Deucalione, *nos duo turba sumus ?* Cur Procuſtes novus ad judicij tui staturam & modum alios redigis, quasi solam recti, & veri mensuram ? Quam si excederint, trun-  
cos pedibus facis ; si non attigerint, distento corpore producis.

Sed esto, sis doctrinarum medulla, & inter summos literatorum summus ? non pudet tui prædicatione deprimere cœteros ; & adeo vili es animo ut putida tui dilaudatione, aliorum luminibus contendas officere ? Audiu quanto fragore torrentes se saxis allidant, non dissimiliter ac si forent irata maria ; cum ægrè secum aquæ palmum vehant, quam latum alveum sibi sternunt. E contra regii amnes quanto silentio, quam tranquillo in mare se lapsu reportant ? Quam procul strepitu omni ; quo vel fossæ profundum , quam implet ; vel amplitudinem riparum quas occupant ; vel aquarum nitorem, aut rapiditatem significant ; muti prope ac taciti fluunt?

Cui est angusto in rivo piscatio , & supplex ingenii, maximè verò judicii curta ; nihil est eo sonantius in laudum suarum molestissima inculcatione , & æmolorum despiciētiā. Quibus ille omnium aures quo importuniūs obtundit , non animadvertisit eo apud illos contemni se largius ; (a) nam ( ut re- Etē omnino ait Symmachus ) *In magnos animos non cadit jactantia.*

Verum enimvero flocci habent superba ingenia si tantum in terris insolecant , nisi appareant etiam in cœlestibus curiosa ; nec solū ambitu injusto primas in hominibus captant ; sed ausu præterea impio Dei naturam , & opera , ex intelligentiæ suæ modulo æstimantes de rebus divinis judicium sibi arrogant. Sit itaque illis in alexipharmacum subsequens consūderatio.

—  
—  
—



**INCRE-**

(a) L.10. ep.21.

ન્નેં: ન્નેંદુઃ: ન્નેંદુઃ: ન્નેંદુઃન્નેંદુઃ: ન્નેં

**INCREDVIO.RVM MORBVS**  
*duplex, & quod sacrae fidei arca-  
na, Philosophicâ explorent cu-  
riositate ; & quod Philosophiae  
placita pro certâ teneant sacrae  
fidei veritate.*

**D**escribendâ in globis, & tabulis terrâ so-  
lent Geographi cum ad metas venerunt  
cultarum regionum ; ignotas hactenus, pun-  
ctorū lineis notare, adscriptis verbis. (a) *Terra*  
*incognita.* Quem morem Plutarchus in sui ex-  
cuseationem appositè vertit, quod Heroum vi-  
tas aggressus scribere, non potuisse illorum  
sigillatim gesta divinare, quibus essent im-  
mortalitatem apud homines consecuti. Anti-  
quitate siquidem nimiâ, & oblivione quæ il-  
lam subsequitur, magnam vitæ illorum occul-  
tari partem, ut Terram incognitam. Quod  
Plutarchus de illorum gestis refert, illud idem  
cadere potest in complexum illum rerum  
omnium, quæ possunt à nobis intelligi.  
Multa sunt in iis nota, latent multa non

M 4

mo-

(a) *Plut.in vita Thej.*

*Character hominis literati,*  
modo incognita, sed extra cognitionis no-  
stræ facultatem, & sphæram sita; donec in  
illam subeamus scholam, ubi primo, & solo  
divini Verbi aspectu nobis imprimatur æter-  
na & clara eorum intelligentia, quibus inda-  
gandis hic frustra contendimus. Hujusmodi  
sunt occulta & incomprehensa sacrosanctæ  
Fidei arcana, quo minus aperta, hoc securio-  
ra; quo minus permitta curiositati morta-  
lium, hoc sacratius, & certius eorum fidei  
commissa. Quantamcūmque quis excelsita-  
tem intelligentiæ & acumen sit nactus, scro-  
bicula est unius palmi ad Oceanum, si cum iis  
quæ cupit mente comprehendere se compo-  
nat. Attollat quantumvis animum & con-  
templandi aciem in sanctos divinæ fidei re-  
cessus, non fiet propior quam Gigantes cœ-  
lo, post Ossam Olympo impositum. Non  
habent noctuæ oculos Solis patientes, quem  
vix Aquilæ ferunt noctantibus oculis, quam-  
vis firmioribus adamante. Piscatorii limbi, te-  
mone ac velo pedalibus, oceanq; temere se  
credunt, ad investigationem novi orbis.

Quid est obsecro mens humana, dum sen-  
suum gravatur pondere, nisi Struthio-came-  
lus, minor alarum mole quam corporis, nec  
humo se valens efferre, nisi passis alis, gra-  
dum in terra ponat. Quanquam pennis simus  
alati amplissimis, evasuri scilicet ad nubes  
sumus?

sumus? Quid dicam, ad Solem, & majores stellas? Quis altissimâ licet imbutus rerum divinarum contemplatione, litare cum Atheniensibus non cogatur. *Ignoto Deo?* Quis (inquam) non fateatur se ad percipienda quæ de se Deus occultat in habilem, & postquam suarum alas cogitationum ex ritu avium sacrificandarum torserit, non se a me arguat imbecillitatem temerariam aureo illo Augustini dicto, *Melior est fidelis Ignorantia, quam temeraria scientia?* Nunquam fontium aquæ profiliunt altius, capitibus fontium ex quibus ortæ sunt. Tantum sursum feruntur, quantum in declivia fluxere. At qui nostrum hoc qualecumque scire, unde, quæso, nascitur & habetur nisi ex sensibus? Sensus verò quarumnam rerum sunt capaces, nisi earum quas claudit suis finibus natura? Ex iis denique naturæ finibus qui tandem possumus ducere. *Fontem aquæ salientis in vitam eternam?* qui fons scientiam designat supernaturalium, & divinorum. Verum inter istos quos dicere licet impie curiosos, sunt qui se sui magistros inaugurant, & quidem ejus scientiæ, cuius nunquam mundus vidit discipulum: mentis acumen fatigant ut in apertum nudæ veritatis, supra quam possit ac liceat, conspectum se penetrant; & vix dum fidei lacti sugendo idonei, ejus in ossa jam invadunt, ut eorum

medullâ pascantur: ac velut nihil omiserint  
in vasto naturæ ambitu quod non teneant  
animo comprehensum, fidei arcanis admo-  
liuntur profanam indagationem. Inspectis,  
& victis cum mari & terrâ inferis, spirant noxi  
Hercules majora:

(a) *Per domita tellus; tumida cesserunt freta;*  
*Inferna nostros regna sensere impetus;*  
*Immune cœlum est: dignus Alcide labor.*  
*In alta mundi spatha sublimis ferar,*  
*Petatur aether?*

Ad hoc in pedem dum assurgunt, & alas  
explicant, quam opportune illis, & tantulis, &  
tanta moventibus Samaritana quæpiam insu-  
surret. Domine neque in quo haurias habes, &  
puteus altus est. Dic sodes priusquam con-  
scendas altius, quod S. Hieronymus te rogar,  
cur pedes Elephanti, qui mons carneus est,  
duntaxat quatuor dati sunt, quibus molem  
corporis immanem regat & fulciat; musca,  
quæ punctum viventis est, sex pedibus niti-  
tur? Non pudebit opinor id nescire, quan-  
quam ut hoc scias, nihil sciveris. Et scire te  
credis, & intelligere, quod nemo mortalium  
percipit, etiam si nihil non percipiat? Ad pri-  
mum quod quæro, de rebus quæ sub sensum  
cadunt,

(3) *Hercul. Fur.*

cadunt, offendis cum Thalete, & in foveam  
Iaberis, meditaris tamen ascensum stellis al-  
tiorem? Quām tibi apte hīc Zeno Stoicus  
correctoris operam commodet, ut juveni  
olim quām mento dēpili, tām capitis vacui.  
Cui responsum audaciūs ad quæsita scitan-  
ti, quæ ne ipse quidem satis perceperat; ob  
os objecit speculum, interim ad aurem sug-  
gerens, censerētne illa quæ interrogabat,  
& responsa quæ reddi volebat, barbam il-  
lam decere? Ingenio polles sed quantulo  
si ad Augustinum? præ quo ut gryllus vi-  
deris equo prævalido & generoso collatus.  
Et talis cum sis audes ea tentare, à qui-  
bus ille viribus suis diffisus se removet? Qui  
certè mari tantum non se cum Philosopho  
demergens, O abyſſe, (inquit) tu me ca-  
pe, quia te ipse non caſio: Quinetiam lo-  
cis sexcentis contestatur nescire se quicquam,  
ac ne capere quidem quid sit scire. Nescio,  
& non erubesco confiteri me nescire quod nes-  
cio. Et à audeſ tu os aperire ac vocem mitte-  
re, ut impugnes vel in dubium revoceſ,  
quod duodecim ſæcula, quod absque nume-  
ro, & mensurâ docti, quod mortes martyrum  
infinitæ, quod nullis non locis, & tempori-  
bus edita potentiaſ divinaſ prodigia, quod  
tot consensus populorum afferunt, confir-  
mant, chirographo inexpugnabili muniunt?

Sapientiæ tuæ lucernâ tenui, examinabis sci-  
licet Solis lucem ; nec apud te Magistri  
supremi sapientia valebit, quod apud disci-  
pulos Pythagoras valuit ? (a) Nobis curiosi-  
tate opus non est post Christum Iesum, nec in-  
quisitione post Evangelium.

Alii, sunt genio quidem viliores, sed in  
verba magistri obstinatiùs jurati. Textum  
prisci Philosophi rancidum pro sacramento  
venerantur ; sententias pro divinis responsis  
& sic inter se Christum & Aristotelem com-  
ponunt, ut Christo credant ; Aristotelem, &  
Platonem non negent ; æquâ lance iisdem  
que ponderibus Evangelium librent, & Phi-  
losophiam. (b) Quid Athenis, & Ierosolymis ?  
Quid Academia & Ecclesia ? Nostra institutio  
de porticu est Salomonis. Viderint qui Stoicum,  
& Platonicum, & Dialecticum Christianum  
protulerunt. Luget etiamnum Ecclesia, &  
æternum lugebit damna, quæ in ipsam profa-  
na & stulta sœculi sapientia invexit, ejusque  
scriptores magistri ertorum ; uominabitque  
illos semper cum Tertulliano, (c) heretico-  
rum Patriarchas. Quot clades intulit naſcen-  
ti Ecclesiæ Plato crebriùs perlectus ; nimium  
observatus ; ac tandem heresum condimen-  
tarium, ( ut Tertullianus scribit ) effectus ?

Dicat

(a) *Tert. de prescr. c. 7.* (b) *Ibid.* (c) *Ad-  
vers. Hermog.*

Dicat tacentibus reliquis grandi suo malo expertus Origenes , qui sapientiae Christianae familiaris Soli, assuetusque ex eo veritatis supremæ radios ducere , postea mutatus in noctuam, admirari nitedulam cœpit inter cœcas noctes errorum lucentem , & ex Catholico degeneravit in Platonicum. Veritatem in fabulis perdidit, fidem sacrosanctam in Philosophia; & cuius adhuc pueri pectus osculabatur parens tanquam *Spiritus sancti*, & *cœlestis sapientia templum*, is errandi postea magister & ductor errantium, cum *nemo melius antea scripsisset*, exinde *nemo pejus*. (a) Quot autem etiamnum strages edit ille statuendi, & destruendi artifex *versipellis* , & auctor creditus mortalitatis animorum ; hoc est uno verbo, rectæ fidei eversor, & eorum Pater qui hominis anima non vivunt , sed vitâ quadrupedum. Quot ejus asseclæ, (b) qui nihil aliud quam *Aristotelem ructat* , fideique effata tunc probant, cum à porticu non abscedunt. Quasi vero sit Evangelium granum ex Philosophiæ ipsorum legendum paleis, non autem verus panis, ad hoc cœlo missus, ut ejus sapor in fastidium paleas vertat , (c) qua medullam non habent, nec possunt nutrire discentium populos, sed de manibus stipulis conteruntur. Rana sunt

N

isti

- (a) *Cassiod.div.lect.c.2.* (b) *Cyr.Alex.l.21.*  
(c) *Hieron.l.4.in Jerem.*

*isti (a) (ait Augustinus) clamantes ex paludi-  
bus limosis. Strepitum habere possunt, doctrinam  
veræ sapientiae insinuare non possunt. Disceden-  
te cœlo, & Patris voce desuper tonante, atque  
his vocibus filium commendante, *Ipsum au-  
dite, an erit quis tam furiosa amentiæ, ut au-  
rem Christo alteram præbeat; Aristotelii alte-  
ram & Platonii servet? (b). Cœlum tonat, za-  
ceant ranae, Ubi veritas docet sapientia muta-  
est, Philosophia elinguis: Et philosophia no-  
stra Christus est.**

(a) *Sermon. 95.* (b) *Ser. 109. de temp. Petr.  
Dam. ser. 57.*

## IGNAVIA ET ERROR

*Parum studentium, & multa scire  
volentium.*

**V**Etus est omnium & concors, nedum Hip-  
pocratis, (a) Theophrasti, & Aristotelis  
querela, fuisse nobis cœlum iniquius, & avaræ  
nobiscum annos dispensasse, quos cervis, cor-  
vis & cupressis tam prodigè contulit. Ad lon-  
gas & operosas artes, data sunt uobis vitæ bre-  
vissima

(a) *Sen. de brev. vita.*

vissima studia, & perplexissimo multorum laborum itineri, parcus (ut ita dicam) anno-  
rum viaticum. Interiere illa pridem tempe-  
randorum chalybum arcana, radicosum vitæ  
reparantia humidum, & vivos homines in  
modum balsami condire solita, ut milliario  
annorum jam vicini, malling ex eâ disce-  
dere, quam vitam protrahere longius; id-  
que satietate vivendi potius, quam neces-  
sitate moriendi. Nos hesterni flores, hodie  
jam consenuimus, cras cadavera futuri; per-  
inde angusti, & diffabilis ævi, ut si nisi ad  
mortem minimè nasceremur. Pueritia prisco-  
rum nobis est decrepitum senium; illorum  
decimæ, opum nostrarum apex summus; su-  
pervacanea illorum, thesauri nostri aggeratis-  
simus cumulus; ut de canicie ab Alexandrino  
& Tertulliano eleganter & vere dictum sit,  
*hanc esse eternitatem nostram.* At si hac vitæ  
tam curtâ brevitate altius in animum indu-  
ctâ inductum simul foret propositum utendi  
eâ brevitate; beneficii gratiam prometeretur  
magnam, quod pœnæ imputatur. Nam que-  
ri cœlum fuisse nobiscum avarum temporis,  
& stulte illud prodigere; vitâque uti semi-  
pede, ut si multorum sæculorum æqualis es-  
set parasangis; hoc certè dici nihil vel cogi-  
tari potest absurdius. Clament omnes dolen-  
ter cum Medicorum principe, *Ars longa,*

220 *Character hominis literati,*  
*vita brevis.* At quis interea festinat eò pertin-  
gere, quò illi etiam qui diligentissime feli-  
nent, ferò perveniant? (a) *Ad sapientiam quis*  
*accedit?* *Quis dignam judicat nisi quam in*  
*transitu noverit?* *Quis philosophiam aut ullam*  
*liberale respicit studium;* nisi cum lude interca-  
lantur; cum aliquis pluvius intervenit dies,  
quem perdere licet?

Magno consilio Natura hominem in orbis  
medio, velut theatri cuiusdam ingentis in  
centro locavit, (b) *Procerum animal,* & in ef-  
figiem pulcherrima speculacionis erectum: non  
habitatem otiosum, sed tanti operis accura-  
tissimum inspectatorem: operis inquam) in  
summa suarum consensione tam va-  
riis iustis letate adeo sibi consentientis;  
aculis pluribus coagmentati  
Spectavit tamen utilius ali-  
i lubet altius in ejus mentem  
audum videlicet non tam ho-  
dedit admiratori suorum ope-  
rū scholam discipulūs investigan-  
abilem opus. Ad hoc  
abilem facilius in ejus ac-  
tum, ut volumi-  
tas cœlum  
tentibus, ad  
laten-  
(b) *Cassiod. de*

latentes causas inquirendas extimulat. Quæ nimirum sit vis illa quæ vastam Cœli molem circumagit motu perpetuo? An fit ab Assistentे (ut vocant) intelligentiâ, an ab insita formâ impressus ille cœlo motus? Sit ne stellarum errantium cœlum multiplex, & diversum; ita ut continuatis complexibus, unum quodque in superioris cœli colligatur sinum, & cœlum vicissim inferius suo sinu excipiat: an verò una pro lare toti stellarum familiæ cœli domus sufficiat. Ex qua vel confletur vel constet cœlum materia? obnoxia tempori, an immortalis liquidâ, ut est aër, an durâ ut adamas? Unde maculæ, & faculæ circa Solem? Unde certis locis obscuri Lunæ vultus? Quo igne accendantur, quo alantur pabulo Cometæ, & quæ præter jam notas repente apparent stellæ novæ? Suntne illæ Cœlo extraneæ, an ci-ves? Suntne indigenæ; aut ab his infimis illuc advenæ? Planetarū errores qui possint ad certam regulam, & constantem reduci? Defectio-nes luminarium quo pacto fallant, quo pacto sciantur? Quantum cœli profundum? Nume-us stellarum quantus? Quanta magnitudo, velocitas illarum? Alas unde induant venti olandum? spatia unde sibi ad cursum de-mun? Alas unde incerta & arbitraria, sed stara? atia unde sibi grandum robur; ad agendum fortum, durationem & remis-dum robur; i-

sionem, tempus metasque accipient? Nubes aquarum foetas ponderibus, quæ manus suspendat? Quæ stillatum in pluvias exprimat? Uterum cum gerant tot aquis gravidum, ignes fulminum quo nisu pariant? In nives quis eas cogat? Quis denset in grandinem? Quis transmarinis coloribus pictor eodem semper ordine Iridem pingat & variet? Unde fontium capita in verticibus montium? Unde iisdem in montibus versicolores marmorum, & diversæ metallorum venæ? Quis mari accessus, & recessus dicit? Aquas tam abundè quis fluminibus superfluit, plene alveo semper fluant, ripas nunquam vacuas deserant? Quis florum, quis herbarum fibras tam grata colorum varietate destinxit? Quid animalium, avium, piscium, corpora tam innumerabili partium ac venarum diversitate elaboret? Quis Elementis temperaturam, quis illum oppositarum qualitatum consensum mirabilem, quis occultas virtutes influat? Quicquid est denique, & quicquid factum est, cuius naturæ sit, & quomodo conditum? Scire omnia hæc, ad illa quæ sciri praeterea possent, nihil est scire; & tamen hoc nihil quotus quisque est qui totum sciatur? Tantum igitur sciendum supereft, tam exiguum temporis & vitæ concessum est ad discendum; & hujus vel supervacua, vel minu-

minutias horatum articulatim concisarum  
sat esse nobis somniamus ad studium? En-  
quicquid hactenus hic probo paucis expres-  
sum particulis ultimi capituli libelli aurei,  
quem de otio sapientis Seneca reliquit. Cu-  
riosum nobis natura ingenium dedit, & artis  
sibi ac pulchritudinis sua conscientia, spectatores nos-  
cantis rerum spectaculis genuit; peritura fru-  
ctuum sui, si tam magna, tam clara, tam subti-  
liter ducta, tam nitida, & uno genere formosa,  
solitudini ostenderet; ut scias illam spectari  
voluisse, non tantum aspici. Vide quem nobis  
locum dedit! ~~Accas~~ quarenda natus, astima  
quam non multum acceperis temporis, etiamsi  
illud totum tibi vendices. Licet possit mihi faci-  
litate eripi, nihil negligentia patiatur excidere;  
tamen homo ad immortalium cognitionem ni-  
mis mortalis est.

Hoc cum intelligerent illi orbis magistri  
sapientes, quorum æternâ memoriâ gaudet  
posteritas, & æternis ditatur laboriosi ingenii  
monumentis; illi (inquam) quanti nos faci-  
mus minimos adamantes & puncta lapidum,  
tanti ducebant minutulas temporis illius  
portiones cuius esse avarum, nullius præte-  
rea, magnam laudem habet. Mirum erat vi-  
dere illos in publico; ut in sapientiæ amo-  
re, sic in suis latebris Mercurio similes, qui  
Soli proximus videri vix potest; ejusque

unius contentus oculo , haurit ex eo lucis  
torrentem perpetuum. Tanto ardore in scien-  
tiarum studium incumbebant, ut breves vitæ  
moras sedulitate studii compensarent ; qua-  
to, septentrionis ultimi falcomes, quo tem-  
pore solent in iis regionibus dies esse brevif-  
simi, venationi ac prædæ intenti sunt. Sic  
enim legimus, iis volucribus hanc esse indi-  
tam à naturâ indolem , ut quò brevioribus  
temporis intervallis decurtunt illic dies , hoc  
sollicitius prædam quærant, hoc insectentur  
ardentiùs, hoc avidius in eam impetum fa-  
ciant. Non pudebat homines barbâ ; & men-  
te canos in urbis frequentia interdum sub-  
sistere , si quid illic adverterent cognitione  
suâ dignum ; utque Diogenes exprobranti  
quod comederet in foro, *cum in foro i inquit)*  
*esuriam, cur in foro non edam ?* ita illis scienc-  
di cupido , excusatio justa erat occasionis  
ad hoc undevis captandæ. Jam quod iussu  
naturæ debetur corpori , reddebat qui-  
dem ad vitæ subsidium , non ad pabulum  
voluptatis : quin etiam subinde vel sibi ne-  
gabant, vel aliâ demersi studiorum occupa-  
tione omittebant. Carneades certè curarum  
cœlestium ebrius nectare , quo suas palce-  
bat cogitationes ; cum totus extra se, torus-  
que mens esset , fami ac morti permittebat  
corpus ; nisi cum sui magna vi ad cibum ca-  
pien-

piendum compulissent. Archimedem juraſſes nunquam minus esse compotem sui & conſciū, quām cum maximē talis eſſet.  
 (a) *Abſtractus à tabula, à famulis ſpoliatus, unclus; ſuper ipsā pelle juā, mathematiſca ſchemata exarabat.*

Nimium gnarus Demoſthenes quantam ſuſtineret apud ſe in primis, tūm apud homi-nes ſublimis ingenii expectationem, domum ſibi legit in carcerem; & de rati deformatio-ne capitis, latendi ſibi neceſſitatem imposuit; donec & caput novis capillis auctum, & mentem novis ſcientiis ornatam eſſe cognof-ceret. Nobis vice verſā quantum incumbit addicendae ſtudiis operae, qui ab illorum hominum ingenio tam procul abſumus? Et putamus horam unam aut alteram, ſom-no negotiis & cœnis, quotidie ſubductam, fore plus ſatis ad ſtudendum? Tam exiguo tempore, diſcendi ſpatia qui metitur, annos ſibi Noëmi oportet ſpondeat. (b) *Parvus nu- trimentis quanquam à morte defendimur, mi-bil tamen ad robustam valitudinem promove-mus.* Gutta, fateor, ſtillans crebriitate & diu-nititate ſcalprum fit, & marmor excavat; ſed quia hoc marmor, & illa gutta eſt, quo- eget ſæculis ut vel digitum unum in marmor deſcendat? Audisti paraſitum in antiquâ ſive

N . 5

Aqui-

(a) *Plutarch.* (b) *Symm. Ep. III. Aujon.*

Aquilius seu Plauti comœdiâ, (*Boeotia* nomine) expostulante de primo solariorum inventore, alienæ gulæ, artificiosius infenso, notatis videlicet ad Solem, & constabilitis horatuum intervallis, quæ tempus negotiis publicis, & diei ordinem dispensarent. Irascendi porto in primum solariorum authorem causa illi erat, quod iis inventis fas non esset esurire, nisi cum Solario placuisse. Sunt hi ejus versus ex Gellio:

(a) *Vt illum Dii malè perdant, primus qui horas reperit;*

*Quique adeo primus statuit hic solarium;  
Qui mihi comminuit misero articulatim diem.  
Nam me puero uterū hic erat solarium,  
Multo istorum omnium optimum, & verissimum.  
Vbi iste monebat esse, nisi cum nil erat?  
Nunc etiam non est, quod est; nisi Soli lubet.  
Itaque jam oppletum est oppidum Solariis,  
Major pars populi aridi reptant fame.*

Huic similem quam lubens optaverim tibi sciendi famem, & sapientis ambrosiæ sitim avidam! Quam velim abs te somni horas haberi pro sæculis, & curationem cæteram corporis pro tormento! Is propterea quem dixi Demosthenes, à somno jejunos

ocu-

(a) *Lib. 3. cap. 3.*

oculos, jejunas à cibo fauces abstinebat. (a) Idem plus olei quam vini expendisse dicitur, & omnes artifices nocturnis semper vigiliis prævenisse. Tibi quoque sit hæc rata & fixa lex, ne somno, quem avarissimum publicanum Clemens Alexandrinus appellare solitus erat, vixitæ dimidium in vectigal profoundas.

Prærogativo jure Sybaritis, est datum (homini bus bestiis) ut edictione publicâ gallos omnes oppido suo proscriberent, ne cantu nocturno interpungerent communis somni tractum potiorem. Tu qui lecto non vis ut sepulchro condì, sed decumbere ad quietem gallum, ut Pythagoras, fidum habe, qui albente aurorâ te exciter, revocetque à plumâ ad calatum, & à somniorum simulactris, ad doctas animi contemplationes. Nunquam enim se tibi fortuna sic addicet, ut Duci Timotheo cui reti conclusas Provincias congregabat in sinum dormienti. Nemo in literario opere piscatur dormiens; est enim scientia, non fortunæ donum, sed fructus industria. (b) Dictum igitur sibi hoc quisque existimet quo Cassiodorus nonnullos voluit officii sui esse commonitos, Vigila impiger cum nocturnis avibus; nox tibi pandat aspectus; & sicut illa reperiunt in obscuris cibum, ita tu

N 6 possis

(a) Hiero. in Ruf. Apol. 2. Clem. Alex. Pad. 2.

(b) Lib. 7. Form. 8.

*posse invenire praconium.* Sunt hæ horæ diei  
preciosissimæ, sive ob peculiares astrorum in-  
fluxus (quod docet Ficinus) seu quod cogi-  
tata flore spirituum conclusa, quorum pars  
crassior somno digesta est, menti se ingerunt  
limpidissimâ in luce primarum, quæ sunt veri  
archetypæ, idearum. Ut cumque sit, docet  
experientia, ut mellis sic gemmarum, quæ in  
chartas sribentium cadunt auroram esse ma-  
trem; in iisque perinde ut intra conchylia, ad  
primos Auroræ radios, rores in uniones con-  
crescere. Hunc somnum qui dormit, experi-  
tur illum ex Tertulliano, (a) recreatorem cor-  
porum, redintegratorem virium, probatorem  
valetudinum, patratorem operum, medicum la-  
borum; cui legitimè forvendo dies cedit, nox le-  
gem facit, auferens rerum etiam colorem; utque  
idem subjungit, resurrectionis, hoc est, longè  
beatoris vitæ magistrum. Angeli est ex ore  
belluz profecta sententia quam refert ex A-  
pollonio Philostratus; (b) Oportere rectè philo-  
sophantes, adveniente aurorâ cum Deo versari,  
procedente die de Deo loqui, reliquum tempus  
humanis rebus, &c. sermonibus dare. Ad animi  
studia, quæcumque illa sint, auroræ tempore  
nullum est aptius, videturque consensione  
tacitâ lux ingenii nasci, cum dies orbem sus-  
citat

(a) C. 43. de anima. (b) Lib. I. c. 12. ejus vise.

citat universitate. (a) Beati qui se ipsum assimilant angelis ita vigilando!

Haud quaquam verò hæc assiduitas debet impetus esse dierum paucorum, sed perpetuari per omnem vitam, cuius horæ tūm plures, tūm etiam meliores studio addicendæ sunt; aut certè ita est tempore utendum, ut cum insigni illo pingendi artifice dicere liceat, nullum unquam nobis à linea vacuum diem abuisse. Ardens flamma & parvo, & facile aliatur; semel extincta, ægrè admodum reviviscit. Nec cursum Nili, Nigri, & aliorum hujusmodi fluminum imitemur; quæ terræ se condunt sèpiùs, & in occultis voraginiibus multoties repetito lapsu pereunt; è quibus toties erumpunt ut novum supra terram ineant cursum. Centum capitibus, nascuntur centies, eadem semper, & nusquam eadem. Sic longa otia multi studiis interponunt ex animi potius levitate atque impatienciâ laboris, quām necessitate ulla, aut certè causâ aliquâ non levi. Hoc verò est semper inchoare, lentius pergere, nunquam absolvere.



॥१॥: ॥२॥: ॥३॥: ॥४॥: ॥५॥: ॥६॥

*IMPRUDENTIA INANIS  
eorum, & cassa contentio, qui ad-  
versante genio descendas susci-  
piunt literas.*

Ter ad scientias, & artes quaslibet prospere  
inituri, suum ante omnia consulant genium,  
& proclivitatem naturæ ad illas capessendas;  
ut navigaturi ventum prius qui spirat obser-  
vant, & ex eo vela, & clavum flectunt. Natura  
similis est planetis, qui parum & lentè promo-  
vent quâ parte cuius feruntur retrogrado.  
Nō plura ex eâ exprimunt, qui plus premunt:  
sed qui compertis ejus propensionibus obse-  
cundant. Quicquid ultro & liberè suscipit, sor-  
titur exitus haud minus faciles, & felices, quâ  
Sirenum labor globis cœlestibus solo cantu  
versandis intentus. Huic si vim afferas, non  
crescit virtus eâ violentiâ, sed hebescit; &  
quod ante poterat, jam non potest. Aquæ si-  
milem dixeris, quæ frigore & gelu adstricta,  
stupere quodammodo videtur & emori, cum  
cœlet antea tam inquieti motus, & lubrici.

*Quem in studiorum labore hinc difficul-  
tates*

tates acriter impugnant, quæ in extundendis scientiis occurruunt permolesta; hinc *Minerva invita*, geniusque innatus; natat is adverso alveo; sudat multum, nec promovet hilum; quoad tædio fractus, & illâ exili destitutus quâ sustentabat sese facultate, voluntatem quoque abjicit; factoque ipso, liquidò asserit, violentum nihil esse durabile. Hinc manifestum fit quantum errant, qui animum ad eas applicant disciplinas sive contemplatives, sive practicas, sive ex utroque genere mixtas, ad quas nec eos natura vocat, nec inclinat indoles, nec genius invitat. Qui certè idem mihi facere videntur atque illi, qui flumina prono lapsu currentia, vellent in fastigia montium impellere.

Athenienses quidem ut prudentiâ valebant, principium esse nihil unquam sciendi statuebant, à principio nescire cui te natura studio, quibus artibus finxisset. Inde illis solenne erat priusquam vitam filiorum occupatio ne aliquâ præmunirent, explorare illorum desideria, & impulsus puerilium motuum; atque explicare illorum in oculis instrumenta omnium artium, (a) ut quâ quisque delectabatur, & ad quam sponte currebat, eam doceretur.

Cœlo duce illos vocari censebant, quo illos naturæ inclinabat pondus, fœliciter que

(a) *Nazianz. ep. 117. apud Basit.*

que in Cebetis arcanos sensus incurtebant,  
qui suæ primo in flexu tabulæ Genium collo-  
cavit, mortales omnes suo quemque ordine in  
hanc vitam accersentem, ubi (a) mandabat  
quid eis, ubi in vitam venerint faciendum sit;  
cui vita se committere debeant, si labvi esse in  
vitâ velint, ostendebat.

Ingeniosus fabulator Deum singit, homi-  
num animas cum metallis pariter secuisse, ru-  
sticanis ferrum, aurum principibus, siogulis  
denique pro ratione gradus sui & ortus, sua  
metalla infudisse. Primum ergo cuique, me-  
talli ex quo constat sonum legitimum, &  
temperaturam pulsu industrio tentari ait o-  
portere; post, ab eâ id exigi, quod dare potest.  
Advertat quisque (inquit Platonici) dum  
suus è cœlo delabens Genius per interiectos  
transilitet globos, cuius inde astri retulerit tes-  
seram? Saturni motosi? an Jovis domini? an  
Martis bellatoris? hoc auspicio stylum, scep-  
trum, arma securus corripiat. Quid enim ab-  
surdius quam nonnulla in scholis videri capi-  
ta, quæ sunt rusticani glebis, quam libris ver-  
sandis, aptiora? quæ sunt tanti ad literas stu-  
poris, ut ex opposito Jovis puerperi, Bacchum  
cerebro, & ventre Palladem gerere videantur.  
Illorum ratiocinatio hebes admodum ac pin-  
guis,

(a) *Dial. de inst. 3. de repub. sub finem.*

guis, & crassior Lacūs Alphaltitis aquis in quibus nihil est quod ad fundum usque pervadat; tarditatem Iudicū illud animal superat, cui Pigritia nomen est; quodque ut maximè properet, passus unius nostri dimidium, centum suis promovet passibus; diebus centum, unum milliare. Nulla est lima tam acriter durata temperatione, ut eorum deradat rubiginem, nedum altius in eos penetret. Linguæ doctorum hominum omnes iis insudent lambendis, ut in deformitate foetuum reformandâ ursæ, nunquam iis insculpent lineamentū hominis ad literas apti. Citius Ammonii equus fuit philosophus quam ullus istorum grammaticus. Ut quid ergo scholas istis mercibus impedire? Ut quid in officinas protrudere, in quibus ut scalpro, & malleis, nihil relinquas intentatum, plus semper faxi sis quam Mercurii reperturus? Ut quid homini caput obtundere, quod si aperuerit Vulcanus, ducturus sit ex eo bubonem pro Minervâ? Cur testudini queris magistram Aquilam ut eam volatum doceat? Sapientiæ oracula cur conducis, ut ei capiti literas imprimant. Quantumcumque se jaectu, atque (ut ita dicam) volatu se effterat ad libros in orbem de se spargendos, nunquam tot literas edendis libris describet, quot volando Grues atque Ciconiæ. Non sunt exigendæ à pumicibus spongiæ, nec vert-

vertagi cursus à molossis, aut à queru poma ; qualemcumque illi surculum inseveris glandes reddet. Emascularunt Sybaritæ sutorum equorum bellicam indolem , disciplinâ saltandi ( quæ feminarum est. ) Prorsus idem peccant qui ad arma natos , jubent literatos fieri , & eum qui semper esse Marcellus ambivit, fieri Archimedem. Quid enim in casum tenditur ? Poteſt natura impugnari, expugnari non potest : ſibi relicta ſui erit memmor ; ſerius ocyus eò remeabit unde violenter abſtracta eft. Latebit Achilles aliquandiu ſub mundo muliebri : (a) *Ille apud rupicem & ſylvicolam, & monſtrorum eruditorem ſcrupulam in ſcholâ eruditus ; patiens jam uſtriculas, uſtinens ſtolam fundere, comam ſtruere, cutem fingere, ſpeculum consulere, collum demulcere ; aurem quoque foratu effeminatus.* Durabit ſcilicet quoad ſuus Achilli erumpat in arma genius , muliebres exofus munditias. Genii hujus non Trojæ neceſſitas ſuum redidit Achilli ſexum. *De pralio ſonuerat, nec arma longè ; ipsum, inquit, ferrum virum astrahit.*

Quatuor hic, de ſexcentis pono quos diuersiſſimis ſtudiis infelicitter addictos , ſuus ad literas genius feliciflē revocavit. Socrates adoleſcens ſtatuariam profeſſus , tres  
Gra-

(a) *Tert. de Pall. 4.*

gratias admirabilitate artis effinxit tam peculiari, vix ut orcus esset illas agnitus pro tribus furiis. Videns ergo, se in elaborandis marmoribus, nihilo quam marmor dociliorem, & solertiorum; retusis & abjectis scalbris, ad eam se contulit, in quam erat naturâ prouior philosophiæ partem, quæ de moribus est: In eam sic scalpra ingenii, sic mentem acuit, ut qui sculpendo erat ineptus ad fingendas hominum de saxo statuas; philosophando, statuas ex hominibus fingeret.

Pingendi artem amplexus Plato, dum se videt nequaquam pictorem, sed rudiariam pictoris speciem referre; & quicquid pingueret, solum umbrâ dignum, lumen refugere; ab infastâ corporum designatione, ad nobiliorem depingendorum animorum se curam transculit; missisque penicilli pigmentis mendacibus, veras aggressus est ideas in lucem profere; suisque illas lineamentis expressas, mundo primus ostendit.

Augustus ambiens lauros poeticas Imperatoriis addere, & Jovis non contentus fulminibus, Lyram Apollinis gestare; Ajacem composuit, tam adversâ venâ, ut risu exceptus, pro poemate tragico in drama comicum existet: ipse tamen suo indignans operi, tam infelicem apud vulgus sortito exitum; in medio homi-

hominum risu , suum illi tragœdiæ nomen servavit , dum ejus laceratione loco catastrophes drama conclusit . Ejus natale sidus fuerat Capricornus , atque ita sceptro non stylo , nec ordinandis scenis , sed orbi regendo parabatur . Contra Ovidio in forum protruso , major cum patre , à quo violenter addictus erat causis forensibus , quam cum alio quovis lis fuit . Geminorum influxu hilari instinctus aversabatur fori strepitum , musarum canticis inhiabat . Ensem Themidis plectro mutavit Apollinis , ortsusque tacite opus suæ metamorphoseos , è causidico repente transformatus in poetam comparuit .

En quanta sit , ut magnetis , sic genii vis & rapax propensio . Illum si detorqueas à septentrione , inquietus redditum meditatur , nec tantillo temporis spatio regressum differt . Similiter cuiusque genius in nobis id agit , quod poeta fatis attribuit :

(a) *Ducunt volentem fata , nolentem trahunt.*

Jam si honoris , aut lucri ratio vetet male coepta consultè abrumpere ; hem ! tibi ex Academiis velut ex Lybia monstrosi partus , medici poetæ ; philosophantes historici ; mathematici jurisprudentiam colentes .

Sic

(a) *Seneca.*

Sic confusi satus, quos natura cuique indidit cum iis quos addidit studium, informem edunt fœtum, qui cùm utique se debeat semi-ni, ad neutrum pertinet.

Omnino itaque necessarium est ad fœlicem professionis alicujus, sive inter multas communes, sive inter paucas privatas & literarias delectum, genium suum consulere, qui aurem docilem frequenti desideriorum lingua pulsat, quandiu optatis caret; iis vero potitus, tranquillis incedit lætitias. (a) Fas itaque sit hinc etiam cum Aeolo interrogare præclivitatem nostram:

— *Tuus ô Regina quid optes,  
Explorare labor, mihi iussa capessere fas  
est.*


Alioqui luctante in oppositum genio, ambire palmas in aliquo genere literarum, idem est ac niti aureum ramum trunco revellere ad muniendam in Elysios viam, quem ramum si natura non dederit;

(b) — *Non viribus ullis  
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.*

Sed

(a) *I. Aen.* (b) *Aen. 6.*

Sed de necessitate Genii explorandi hactenus dictum est, modum illius dignoscendi non indicavimus, nec vocis characterem, quo absque interprete audire volentibus se prodit. Restat hoc solùm, quod jam dictis adjiciam, ad informandam conjecturis de ingenii bonitate cognitionem alienam; ut quos habet officio suo, curæque commissos non admovat rebus addiscendis, à quibus eorum abhorret indoles: in quo, ut potest suo periculo quilibet errare, spreto genii sui, seu propensionis consilio; sic possunt, qui alias regunt.



## *INGENII OPTIMI ARGUMENTA, quæ de suis observationibus physiognomi colligunt, infida.*

**A**rchitectonicæ veteris coryphæi Diis templo ædificaturi, de tribus structuræ ordinibus, Corinthio, Ionico, Dorico, illum præferebant, qui esset illi Deo convenientior, cui templum parabatur; militibus Diis Marti, Herculi, Palladi, Doricum; gravem & severum: Veneri, Floræ, Proserpæ, Nymphis Najadibus, lascivum & molleum Corin-

Corinthium: Junoni, Dianæ, Baccho, & talibus, Ionicum moderatiorem assignabant. Hac eadem lege naturam in formandis corporibus usam, Platonici quidam, & omnes præterea physiognomi sentiunt. Animorum enim corpora esse templa, cùmque essent quædam animalium bellicosæ, aliæ viles, acres multæ, plures stupidæ, ac sensu caffæ, serviles plurimæ, paucæ ad imperium natæ & Reginæ; linneamenta oris naturam aptassè unicuique illarum genio, & corporum fabricâ designassè proclivitatem animalium. His tota conjiciendi ars principiis nititur; & quæ in aliis observat exterius, argumenta censet, ex quibus intima eorum divinet. Jam cùm ex moribus probis, improbis, multiplicibus, nec raro pugnantibus indicia sumere se profiteatur stolidæ, acutæ, vivacis indolis; ad conjienda singula tot præceptis memoriam operat, ut si foret ubique non ingenii unius, sed sexcentiformis indoles Protei pernoscenda. Harum tamen magistri divinationum ad conformatiōnem potius, & temperiem attenti paucorum ingeniosorum, quam ad universales, & occultissimas ingenii causas; paucorum vultum fecere omnibus communem; adeo ut Porta, quasi Alcibiades novus, ex cuius ore pingendus esset verus Mercurius, de singulari suimet ectypo, & signis sui ingenii propriis,

propriis, universales condiderit excellentis ingenii conjecturas. Hinc tantopere incerta & fallax opera, ex colore, temperie, aliisque affectionibus, lineis, formisque corporum; pronunciandi de ingenii alicujus vastitate, acumine, & velocitate. Dō hīc vulgaria istorum ariolorum scita, de quorum tamen refutanda fide non labore.

Ac primū negant Platonici, posse formosum ingenium, deformē corpus pro domicilio habere; Venerem in trino (ut loquuntur Astronomi) ad Lunam aspectū, typum esse ajunt, quo stellæ formam liberalem corporibus imprimunt, & consonare cum numeris, qui attemperant animum primæ menti: Pythagoram fuisse pulchritudinist tam rāræ, ut eum discipuli Apollinem crederent in veste Pythagoræ, aut indutum Pythagorā formosum Apollinem. Nec dicto defuerit aliqua ratio. Est enim pulchritudo flos quidam interrenum hoc corpus ex animâ, seminis instar exoriens: atque ut Solis radii per objectam nubem, sic jucundè pellucent, ut hæc nubes, licet ex terrâ & aquâ, terra tamen & aqua jam esse desinat, Solisque ipsius personam gerat: haud absimili modo animus, corporis sui inumbratus nube, pulchritudinis luce in illud refusâ, pulcherrimum efficit, quod Plotinus vocabat formæ imperiū supra materiam.

tiam. Quod si deinus animos nisi in corpora sibi simillima, haudquam descendere; nec posse invicem nexu amicitiae constantis, nisi quæ maxime inter se conveniunt, sociari; quis neget formosum animum deforme corpus aversari?

Nec dicas istis ariolis Æsopum natum propitio sidere, Thersitis speciem retulisse; Cratetem monstri Africani; Socratem truncis materiati, ut à physiologo Sopyro stuporis archetypus, ab Alcibiade Silenus diceretur, foris turpior ferâ, intus humanor major; Denique Theodorum in Teætheto ita describentem Socrati adolescentem præstantis ingens; Non est, inquit, pulcher, similis tui est: simo naso, & prominentibus oculis, quamvis ille minus quam tu in his modum excedat Ad hæc illi respondent, deformitatem hanc non consilio naturæ, sed casu accidisse; non formæ vitiæ, sed refragantis materiae peccato.

Magnum, si vera sunt, ex his decus accedit feminis, quibus forma pro dote data est. In ea siquidem luti excolendâ glebâ laborat assidue natura, ut inde flos ille venustatis lætius germinet. Sunt tamen damnatae subjectione perpetua, & quanta vultu præferunt elegantiæ blandimenta, tantam illas cerebri occultare vacuitatem vulgus putat; ut posset de illis, quod pronuntiavit de marmoreo ca-

242 *Character hominis literati,*  
pote Æsopus, affirmari; pulchrum caput, sed  
cerebro vacuum.

Re quidem verâ si experti ratiocinabi-  
mur, nunquam sibi has leges indixisse natu-  
ram fatebimur, ut nisi auro nunquam illigaret  
margaritas; nec sublimia ingenia, nisi corpori-  
bus exquisitè formosis sociaret. (a) *Potest in-*  
*genium fortissimum, ac beatissimum sub quali-*  
*bet cute latere; potest ex casâ vir magnus exire;*  
*potest ex deformi vilique corpusculo formosus a-*  
*nimus ac magnus.* Sæpius tegunt membra a-  
grestia ingeniorum delicias, (b) & Leonis Ne-  
meæ hispidum spolium magnam mentem.  
Galba orator externâ corporis specie, informi-  
dutoque trunco similior, quam homini vi-  
debatur: sed sub cortice illo aspero & duro  
preciosam subtilissimi & perspicacissimi cela-  
bat ingenii medullam. Ut de illo jocans M.  
Lollius verè diceret, *Ingenium Galba male*  
*habitat.* Tædio sit alios referre quam defor-  
mes tam ingeniosos, adeo ut cum magnete de-  
scabitie corporis horridi & excellentiâ con-  
genitæ indolis, certare videantur. Alii magna  
ingenia de mole capitis æstimantes negant  
vastæ mentis amplitudinem parvi globi an-  
gustiis claudi, aut exigui capitum utero ar-  
matam Palladem concipi, vel brevi cranio  
gigan-

(a) *Sen. ep. 66.* (b) *Macrobi. L. c. 6.*

gigantem animum arctari. At ii non satis intelligunt, punctum capitum medium mentem esse, quod orbis circumducti distensione non augetur : Non advertunt oculum, crystalli guttulam, esse orbis medii capacem, & tenuissimo pupillæ aditu illum excipere.

(a) *Parvula sic totum pervisit pupula cœlum,*

*Quoque vident oculi minimum est, cum maxima cernant.*

Sæpè fit, ut quemadmodum cordis exigui frusto brevi ingentes clauduntur animi ; sic modici capientis, sub angusto fornice magna lateat intelligentia. Ex pallore oris arguit quidam vivax ingenium, ut ignem ex cincere, & Nazianzenus non est veritus illum appellare, (b) *virorum sublimium pulchrum florem.* Neque verò id ab eo temerè & sine ratione dictum est, cum se flos sanguinis in mentis opera extillans, vultum destituat decorem : & in Saturni profundarum cogitationum parentis pallido semper ac semi-mortuo sidere, natura videatur innuere, hanc ingeniosorum hominum sortem esse, ut pallor semper in eorum vultu insideat. Nonnullis ardentes interdiu oculi, noctu scintillantes,


O 2 ostenu-

(a) *Manil. Astron. l. 1. (b) Orat. 24.*

ostendunt quænam sint veræ Palladis noctuæ. Non desunt qui velox ingenium ex confuso arguunt pingentis charactere, manum scilicet esse tardam, & male sequacem, celeritate cogitationum prævertente; unde fit ut perperam picti, & trunci characteres, sensusque confusi in hujusmodi hominum scriptis appareant. Nempe solent boves patienter clara vestigia ponere, ferae in cursu præcipita-  
ta & dubia.

Non institueram referre, nedum impugna-  
re, omnes illas ingenii notas, quas habent pro-  
certis acuti arioli, exsuccos cum collo hume-  
ros; temperiem carnium molliorem; amplam  
frontem, cutis lævorem, & tenuitatem; vo-  
cem ex acuto, & gravi mixtam; capillos nec  
ultra promissos, nec, quasi essent aridi, annu-  
latos & crispos; macilentas manus; graciles  
tibias; staturam mediocrem; coloris amabili-  
tatem, & his plura, æquè incerta & dubia.  
Sunt enim fere bifrontis indicationis, & quæ  
in utramque partem detorqueri possunt, nec  
diversis modo, sed contrariis inter se accom-  
modari principiis, istiusmodi notæ. Speciem  
sibi aliquam referunt ingenii, sed plerumque  
falsam; opticâ quam tibi ipse descripsisti o-  
culis imponente. Et verò si vel attendas ex-  
perientiam longâ partam ingeniorum obser-  
vationem, vel temperien organorum famu-  
lan-

lantium ingenio, & menti ; de tribus quibusque experimentis duo comperies esse falsa ; & interiores organorum affectus, cum exteris tribus his signis non eo nexus copulari comprehendes, ut possit ex iis quicquam certi, sed nec ut plurimum probabile affirmari.



*INGENIORVM VARIETAS,  
excellentia, proclivitates diversae, quos ortus habeant.*

**C**ontrarias plane descriptis hactenus ii se-  
ctantur vias, qui cum statuerint radicem  
ingenii inesse animo, neque suspensas esse à  
corpore ejus agendi rationes ; negant posse  
ullo sensili argumento divinari quale, quan-  
tumve sit cuiusque ingenium. Est enim (in-  
quiunt) inter animas discrimen, non solum  
naturæ, sed graduum etiam adventitiorum  
quibus aliæ aliis excellunt. Laus est supremi  
artificis hæc in mundo formarum & ornatūs  
varietas, haud minor quam in hominibus ;  
quorum duos vultu eodem nusquam reperias,  
licet paucis membris eorum corpus absolva-  
tur. Animarum ergo diversis ex gradibus, cum

O 3

inge-

ingeniorum nascatur varietas; ut quid eorum  
discrimen, & gradus quæramus in corpore?  
quasi (ut ille errabat archiatèr) nihil esset ani-  
ma præter consonantiam qualitatum, & hu-  
morum temperiem. Et sanè ex voce, co-  
lore, & lineamentis, subtilitatem ingenii, vi-  
resque concludere; Idem est, ut totum suā  
totā cum arte Apellem ex penicillo collige-  
re; totum ex gladio Scanderbegum. Divisus  
uno iētu gladii bos; extans pictā ē tabulā bra-  
chium Alexandri, fulmine armatum; argu-  
menta sunt vel roboris, vel artis non dubia: sic  
ingenii splendor non aliter, quam ex operi-  
bus se prodit; alia sui vestigia non relinquit, ex  
quibus conjicias, cujusmodi formæ sit; um-  
brasve alias, ex quibus illius proceritatem me-  
tiare.

Hoc si quis addubitet, attendat tam mul-  
tiplex inter ingenia discrimen, ut quasi stel-  
læ, naturâ & genio disparés, ad diversissima  
contendant; dein scrutetur in corporibꝫ va-  
riè affectis horum causam, & principium ef-  
fectorum.

Alia impetus habent rapidos instar lucis;  
quibus ire, volare, pertingere, punctum est  
temporis. Aquilas dixeris, quæ aucupis jussa  
momento prætervolant. Quare similibus vo-  
lebat Plato (pariter ut suo Aristoteli) rescindi  
alas, quò minus impetu, ratione magis age-  
rentur.

Multa

Multa sunt pigra, lenta, urgenda calcari-  
bus, non ad cursum, sed gradum pressio-  
rem; Xenocratis Mercurio gemina, alati ga-  
leri & talarium vehiculo carenti. Stellæ sunt,  
sed ex eorum numero, quæ polo Arctico pro-  
ximæ, progrediuntur lentiūs, & quasi Boreali  
frigore torpeant, expedire se ad cursum non  
posse videntur. Multa in modum aquæ, facile  
admittunt, quicquid impresseris, nec diffici-  
lius amittunt; tam velocia dediscendo, quam  
fuerant discendo; columbis similia, (a) qua-  
rum omnis inclinatio in novos colores transit;  
adèò, ut eorum unus, dum pingitur, alter pereat;  
atque, ut in speculis, & quæ citò omnis imago abo-  
leatur, quam citò componitur.

Quædam his planè opposita, perinde ac si  
concreta essent è marmore, nihil nisi magnâ  
vi scalpri magnoque labore excipiunt: sed  
ubi semel exceperint, tenacissimè in poste-  
rum retinent. Talis fuit Cleanthes, schola-  
rum Hercules joco dictus, ut cui non minoris  
stetisset Philosophi nomen, quam illi alteri  
nomen semidei. *Oris angustissimi vas*, illum  
nominat Plutarchus, difficillimè admittens, sed  
semper retinens quod admisit. In multis puerili-  
zate non pauca eminent signa ingenii, ni-  
hil præter vivax & acutum spirant, sed ii-

O 4

matu-

(a) *Sen. l. i. qq. c. s. &c. 6.*

maturioribus de hinc annis incipiunt repugnascere; & qui adhuc pueri modulabantur ut lusciniae cum Stesichoro, grandiores postea effecti, ut boves mugiunt. Ejusmodi nactus est ingenium Hermogenes ille priscus. *Sanctus inter pueros, inter senes puer.*

Ex opposito nonnulla, & tate anniisque maturescunt, & cum essent truncis sterilibus non minus agrestia, rupto semel spisso cortice germinant; ramisque explicatis plures fructus, quam frondes alii, pariunt. Jurisperitus Baldus condiscipulis ludo erat: occinebant illi assiduè *Doctor eris Balde, sed praterito seculo.* Nempe illam in jure quâ claruit laudem nisi feram & valde operosam à se non extudit; & centenario, si fas est dici, ut palmæ solent, gestato utero.

De iis quid censemus qui parem ad omnia sortiti amplitudinem capacis ingenii, pari facilitate & gloriâ in omne quaquam versum fertuntur literarum genus, humiliorum, sublimium; vastrarum, aut brevis complexus; perinde ut se Sol diurnus colori cuivis accommodat? Rari sunt faceor; sunt nihilominus, quorum cuique ille merito canatur panegyricus illustris.

(a) —— *Qua sparguntur in omnes,*

*In*

(a) *Claud.*

*Inte mixta fluunt; & que divisa beatos.  
Efficiunt, collecta tenes.*

**F**ortunata ingenia ! in quibus cernitur, quod magno naturæ prodigo unâ in arbore vidisse se scribit Plinius, omnium scilicet arborum surculos : quod Ausonius in Bacchi statuâ, materiâ & arte, mirabili; quæ aliquid ex singulis Dñis referebat , & eam ob rem non unius Dei effigies, sed omnium Deorum, atque uno nomine Pantheon vocabatur. Soli sunt illi quidem, sed multorum instar, & excellentium, præ quibus etiam sic excellunt, ut in eos illud quadret de Rhodio Colosso, *(a) Majores sunt digitæ ejus, quam pleraque statua.*

Soli ut sint, transformant se se in omnia literarum quarumvis miracula ; nec satis liquidò discernas, in quibus emineant; quippe in omnibus ubique sibi unis pares , secundi nemini; invidendi magis, quam vanâ petendi æmulatione. Quacumque tentare libuerit eorum acumen , perspicaciam & doctrinam ; in prompta erit pro iis Vertumnus,

*(b) Opportuna mea est cunctis natura figuris:*

In

*(a) Plin.l.34.c.7.(b) Prop.l.4.*

Nihil juvet illos memorare, qui sunt his omnino contrarii , sunt enim palam noti : uni cuiquam studio suus quemque affigit instinctus, ut si eos inde amoveas, ingenio & mente moveas. Videre qui cupit in quo eminent, punctum legat oportet, in quod omnes concurrent lineæ , omnium quæ sciunt ; visu alioqui nihil dignum videris, ita nihil nisi absurdum.

Sunt præter hos alii magno numero characteres & typi , quibus ingenia , mille dotibus , vitiis, & proclivitatibus variantur. Jam quæ temperies corporis , quæ comparatio humorum , qui habitudinum sive qualitatum consensus sic animam dum operatur , aliter in aliis immutat , ut in quibusdam ad altiora mentis officia, sensu cassâ & stupens videatur ; ad simpliciora , vigens , agilis , expedita in aliis exzellat contemplando ; agendo nihil agat , nihil valeat ? hic illa ingenii munera , illicalia planè diversa , alicubi nulla promoveat ; sitque ad omnes mentis & rationis operas , vel otiosa , vel inepta ? Enim verò si actiones sibi proprias edit per se intelligens anima , edensque intra se recipit ; corporis in iis quid potest , cujuscumque sit temperamenti ? quid cerebrum , quocumque modo situm ?

super-

superest igitur, ut concedamus, ex animarum diversâ præstantiâ, non ex compositione corporum variè affectâ, nasci præstantiam ingeniiorum.

Hoc tamen si pro certo demus; si ad agendum , corporis instrumenta , humorum at- temperatio ad bene agendum nihil animæ conferunt; unde fit, ut inopinâ contusione aut morbo caput icti, repente nonnulli , sensim alii memoriâ & ingenio excidant ; caputque illorum quasi vas illud Pandoræ celebra- tissimum, aut Ulyssis uter, ut semel apertum est, deinceps spiritu & sensu exhaustum ma- neat ? Unde immodicum cerebri ardorem se- quitur interiorum æstus imaginum , distur- batio rationis, delirium, & sœpè amentia? Un- de multorum puerilis ætas tam acuta & inge- niosa; viris tam tarda & crassa, quam esset ante subtilis & vivida ? Est tamen anima una & eadem. Quis illi pennas detraxit ingenii? quis suas illi retudit cogitationes ? quis fecit ab eâ, quæ semel fuerat tam diversam , & propè aliâm?

Addamus aliquas regiones ingeniorum sœcundas præstantium ; Atticam & Athe- nas nidum & patriam literarum , totas unum Pallidis doctæ templum , unam Academiam sapientum : ex alia parte Bœotiam *vervecum patriam*, mutis potius statuis quam homi- nibus

nibus habitatam ; qui non majora edebant ratiocinationis signa , inter homines ; quam Zoophyta motus , inter animantes . Quo & urbes diversas vicinis quoque in provincias cernimus ingeniorum ea inter se discrimina parete , (a) ut nennullæ quasi Alexandria Ægypti , potentâ fundatæ aliquæ in Olympi jugis sitæ esse , & pedibus extare altius quam aliæ vertice videantur . Unde tam mira & tanta varietas , si nec stellæ , nec cælum , nec regio , nec spirituum vis humores attemperans , quicquam habet vel opis vel juris in actiones animaliæ proprias , quas sola gignit , & sola excipit ?

Quamobrem illi tum probabilius , tum plausibilius & verius sentiunt , qui temperamento corporis affitmant ingenium juvari ; & diversitati geniorum , compositionem corporis , ut harmonicis ac multiplicibus cyharæ cantibus , intensionem chordarum variam famulari . Ut verò non de cytharâ solum , sed de musicâ etiam sumamus exemplum , eâdem ratione ex humoribus corporum variè temperatis , diversisque corporum affectionibus nascitur ingeniorum varietas ; atque ex diversarum concentu vocum , diversis sonorum intervallis , ordine & dispositione tonorum diversâ , quâ solidorum , quâ diminutorum , proprietatum & adjectiorum ;

(a) *Plut. in Alex.*

*diversæ*

diversæ temperantur harmoniæ, Phrygia, Dorica, Lydia; gravis, fusciva, bellica, hilaris, motosa & tristis; ac denique consurgit differentia musices infinita. (a) Legantur ingeniorum seu toni seu modi, quos è complexu qualitatum primarum vario in corporibus humanis descripsit Cardanus; legantur mensuræ octo partium sanguinis, duarum bilis, melancholiæ rotideni, ex quibus (b) Ficinus magni ingenii conflavit harmoniam, & id demum credat quilibet quod ipsi magis arriserit.

Vero certè similius est, ingenii opera, cum spirent aliquid igneum; quod arguit velocitas motuum, quibus aguntur cogitationes, & ignea natura spirituum qui ingenio famulantur; vero (inquam) est similius humores corporum quibus inest plus ignis, habiliores esse ad usum intelligentiæ; pituitosos ex adverso humores stupidam illam & somniculosam efficere. Bilis itaque ardens cum mediocri siccitate, ad ingenium confert quam maximè; sed melancholia, quamquam secus nonnullis videtur, multò magis; non illa quidem crassior, fæculenta, & pituitæ frigore quam bilis siccitate gravior; sed pars quædam adustæ bilis, terræ instar sicca & fri-

P

gida

(a) Lect. 9. in Hipp. de aere &c aqua. (b) Lib. de san. suendâ.

gida. Huic enim si aliquid quo acuatur & accendatur accesserit, ignem illico concipit, (ut solet halitus qui aliud nihil est quam terra secca & frigida, sursum raptus;) & ignem concipit ejusmodi, ut vi fulmen æquet, constantiam superet. Hinc furor ille, & sapiens animi phrenitis, quæ totum extra se abripit, & totum recipit; motibus agit celerimis, & figit; impellit ut ventus, sistit ut remora; omnes unâ illius cogitationes spargit & re legit. Ad hoc verò spiritibus pabulum subministrat sanguis; sanguini accedit pituita ut eorum ardorem temperet, ne vel siccitate nimiâ sterilescant spirituum semina; vel læsis æstu nimio organis, plus edant caliginis quam lucis. Necesse tamen est ignem dominari cœtera ex gradus ignei portionibus metiri.

Hæc autem illa est, opinor, tam celebris Heracliti *secca lux*, hic *igneus vigor & cœlestis origo*; cuius ignei vigoris quod est flamma purior, id est quod defæcatori ex humore accentitur, ac proinde minus habet caliginis & fumi; eò cogitationes inde profectæ plus de cœlesti mente quam de terreno ingenio splendere & sapere videntur.

Hoc est electrum illud chymicum inventum adeo difficile, celeritate ingenii & maturitate judicii mixtum; nempe ingenio celerimè immobili tanquam Mercurio, judicio considera-

tæ mentis ceu Chymico pharmaco Mercurii  
mobilitatem adstringente. Ingenium Leoni  
& Delphino simile, ardet ut Leo, currit ut  
Delphinus; sed Judicium est Leoni Frænum  
quo cohibetur; Delphino anchora qua fisti-  
tur. Ingenium est velum, saburra judi-  
cium, illud ala, hoc pondus; illud  
adolescens Janus & levior, hoc senior  
& maturus. Quod autem attemperatio hu-  
morum qui ministerio suo menti adsunt, non  
sit una & individua, sed varia & multiplex;  
hinc multæ sunt & diversæ habilitates natu-  
ræ, dotes & genii, quibus in varias agimur  
incitamurque partes literarum. Cum enim  
aliquæ plus patientiæ, sive (ut loquuntur)  
phlegmatici ponderis, plus celeritatis aliæ re-  
quirant; nonnullæ formaticem imaginum  
firmiorem; hæ ducta subtilius ratiocinia; istæ  
felicitatem memoriæ; istæ arte in unâ capax  
multarum rerum ingenium, & habitudinis  
illarum inter se variæ cognitionem distin-  
ctam: prout humores diversè affecti sunt, &  
dotes illorum calor, frigus, siccum & humili-  
dum variè consonant, sic ingenii cujusque  
facultas ad unam est prior literarum par-  
tem, quam aliam; pro concentu affectionum  
quibus organa juvantur ad agendum. Hæc  
potro habilitas facultatis optimè comparatæ  
versus genus aliquod literarum, standamen-

tum est illius quem genium dicimus. **Natura**  
 enim sciendi cupida, suique apprimè conscientia;  
 eò desideriis fertur solum cui obtinendo, sat  
 esse sibi agnoscit præsidii. Facultatis ergo ad  
 res objectas habitudo, & sciendi cupiditas;  
 quarum hæc operi admovet, altera opus defini-  
 nit illum pariunt consensum naturalem, qui  
 genii forma dici potest. Nequaquam igitur  
 membrorum moles, figura, color, credibilia  
 sunt argumenta, quæ consuli ab eo debeantur  
 qui vult quempiam ex ingenio ipsius literis  
 applicare; sed ex ipsius factis & moribus; qui  
 veri sunt naturæ testes & indolis, investiganda  
 est interior habilitas, eligendaque ars, & scien-  
 tia in quam majori confessione propendeat.  
 (a) Cuius (inquit Plinius) suo ex fonte legi  
 mel nequeat, stellis videlicet; ad hoc adhibe-  
 vantur salem flores qui plus habent de illius  
 naturâ, ibi enim optimus semper, ros mellis, ubi  
 optimorum doloris florum conditur. Similiter  
 eum hic haberi scientia non possit nisi cœlo  
 missa; adhibeantur salem ad eam colligen-  
 dam, qui congenitâ naturæ indole, ignea se-  
 subtili, sed stabili atque moderata, sumi-  
 liores cœlo; cum cœli magis con-  
 veniant.

(a) *Lib. 19, cap. 19.*

# A M B I T I O

*Quam stulti, qui doctrinæ famam  
dum appetunt, inscientiæ claram  
famam edendis libris assequan-  
tur.*

**U**TINAM illa quæ ad famam doctrinæ quærendam tam multos agitat seu libido seu magis rabies, æquè illorum ingenia, ut stylum acueret; & quantum quotidie crescit librorum numerus, tantum scientiis pondus accederet. Vix scholarum in nido, primas cerebrum nostrum plumas misit; & jam alites Iovis sumus, jam Mercurii alato capite: scintillam ingenii ægrè accendimus, & libris edendis Soles dici volumus; & qui vix sumus discipuli, magistri nomen & gloriam ambimus. Quicquid menti oecurrit, dignum partu censens. *Mus esto ridiculus.* Lucina præsto sit oportet typographi manus, quæ tollat infans, & servet immortaliti. Muscas, culices, & gryllos quos capite gerimus, dignos arbitramur, qui ut apis quondam, guttâ succinâ

258      *Character Hominis literati,*  
includantur, ibique tanquam balsamo con-  
dita asserventur in spectaculum publicæ ad-  
mirationis, adeo

(a) ——— *Tenet insanabile cunctos  
Scribendi cachothes; & agro in corde sene-  
scit.*

Beatæ literæ! si suas libri haberent hyemes,  
quarum principio magnam partem folia po-  
nerent, ut suis nudantur frondibus arbores.  
Saperet mundus tunc multo sanius, multis li-  
beratus errorum magistris, & mendaciorum  
oraculis. Quām multi præferunt (b) *Inscriptio-  
nes propter quas vadimonium deseri possit?* qua-  
rum inspecto fastu mox occurrat vel illud  
Horatii,

*Quid dignum tanto feret hic promissor bienni?*

Aut ludens in ingentem exigui admodum  
castelli portam Diogenes, quam ille jubebat  
occludi diligenter ne per eam castellum avo-  
laret, & habitatoribus domum ac patriam au-  
ferret.

Curunt impatientibus oculis & manu ple-  
tique, illis ad legendas, istâ ad versandas char-  
tas, (c) *at cum intraveris, Dii Deaque!* quām  
nibil

(a) *Inven.* (b) *Plin. in Prefat.* (c) *Plin. ibid.*

*nihil in medio invenies? nisi forte Africam quan-*  
*dam, cuius oræ amœnæ; mediterranea ma-*  
*gnam partem, arenæ sunt steriles, desertæ, gla-*  
*bretum nudissimum. Prima hujusmodi libro-*  
*rum folia Parthasiæ velum esse dixeris, tam at-*  
*tificiosè depictum, ut pro vero haberetur ve-*  
*lo, & pictura sub eo latere aliqua crederetur.*  
*Zeuxis certè eo delatus (a) flagitavit tandem*  
*remoto linteo ostendi picturam: sed aliud nihil*  
*invenit præter velum, quo mendax pernicillus*  
*hominum oculis imponebat. Sic (inquit Se-*  
*neca) (b) speciosa & magna contra viuentibus,*  
*cum ad pondus revocata sunt, fallunt. Sic poma*  
*Sodomæ primâ cute blanda & florida, manus*  
*& oculos falso colore alliciunt; intus cinis &*  
*fumus, ubi ea fregeris in auras dissipantur. (c) Si*  
*qua illic poma cernantur, inquit Tertullianus,*  
*oculis tenuis, ceterum contracta cinerescunt.*

Miseret planè me doctorum hominum, qui sumpto avidè in manus, librorum ejusmodi aliquo, pro veris rebus fallacem opticen, & inanes colorum præstigias; pro Junone comptæ & divite, nudam nubem reperiunt; suaque falsi expectatione plus dolent jacturam temporis in eo legendo, quam pecuniae in emendo. Piscantur in eo tandem, dum fastidio victi dicant *nihil cepimus*. Pervolit ant curioso instans, quā se prodit exoticorum sensuum ali-

P 3 quod

(a) *Plin. lib. 35. e. 10.* (b) *Epiſt. 66.* (c) *Apolog.*

quod specimen aut novæ ad dicendum stru-  
cturæ machinæ ; mox, ut à Zeuxidis pictis u-  
vis illusæ ayes, sic illi à librofum avidam scien-  
di famem specioso fuso pellicientium inani-  
lectione, quām famelici veterant, tam jejuni  
recedunt.

Quot scriptorum laboribus pressoria tor-  
cula gemuerunt, in quos illud Ausonii bellè  
cadat :

*Vtib[us] dormire fuit, quām pardere somnum,  
Atque oleum.*

Quām multi vigilatas noctes, libris fuda-  
runt componendis, quos absque somno nul-  
lus legat, nisi cui somnum excusserit indigna-  
tio in auctorem. (a) Quot libris titulo quem  
ferunt commode subscribas illud Zuazi Do-  
ctoris Hispani, qui minimam quandam &  
desertam insulam, ubi nec herbæ pilum in In-  
diā navigans reperisset, hoc ex multis voca-  
bus consilio nomine insignivit,

*Nolite cogitare quid edatis.*

Cum tamen (b) (ut eleganter ait S. Am-  
brosius) Libri sint quasi animorum portus, in  
quos non modò à tempestatibus ad quietem;  
sed

(a) *Ovied. in Histor.* (b) *Proæm. lib. 4. in Luc.*

*ed à paupertate ad copiam secura fuga sit.*

Tres edo de multis istiusmodi librorum tam inutilium & otiosorum tanto numero edendorum causas. Prima est quod multi nihil se putant egisse si librum ediderint, nisi bibliothecā libris fartā suo. Marte cūsis verbem ditarerint.

(a) *Hinc oblita modi,millefima pagina surgit.*

*Omnibus, & crescit multā damnoſa papyro.*

Volumina centum, mille chartarum singula cum ediderint, iis unius ingenii tot partibus unius mentis, unius studii & styli tot filiis incedunt tumidi; nec animadvertis famam & gloriam, haudquam librorum indigestā turbā, sed delectu parati; nec æstimari numero, sed solo pondere. Quoties verborum præcepis flumen, boni stillam ingenii non voluit; nec mare integrum atramenti gemmam unam tegit; nec sylva chartarum, auri ramusculum. Numeret sancè opus editum centum volumina; cum Ausonii echone de se proficeri hoc poterit,

*Aeris, & lingua sum filia, mater inanis  
Iudicli, linguam qua sine mente gero.*

P 3

Pro

(a) *Iuvenal. sat. 7.*

Pro magno patientiæ ostento haberi debet, si qui legit, se à projiciendo libro, scriptorum ab hoc Martialis scommate abstineat.

(a) —— Vis garrule quantum  
*Accipis ut clamans, accipere ut tacens?*

Quam sensatè, & pulchrè libros Domitius Piso b) thesauros ajebat esse oportere non libros, verba totidem gemmas, paria numero paginatum monilia: ut quicumque legerit; decenni authoris labore horâ unâ ditetur.

Heu! illa ætas quò abiit? quò mos eximius, scientiarum mel committendi ceris tenacibus. Quò descendebat lentiùs styli cuspis in tenacem ceram, hoc erat morosior in cogitando mens; hoc maturius quod cogitaverat. Nunc verba digitis calamus præripit, capiti cogitata; utraque tanto leviora, quanto minus perpensa. Scitè hunc adumbrat scribendi pruritum, jactator miles apud Plautum.

*Ego hanc mackeram mihi consolari volo,  
 Ne lamentetur, nevè animum despendet,  
 Quia jam pridem ferias am gestitem.*

Consolari calamos suos volunt lamentabili otiantes, & dicto citius librum uolum spuunt:

(a) *Lib. 9. Epigram.* (b) *Plin. in Prefat.*

**S**punt: at qui suum est bono, non multo pretium. Velut quædam animæ, libri sunt. Non stat eorum nobilitas in mole corporis, sed in præstantia sensuum. (a) In iis (ait S. Augustinus,) qua non mole magnasunt, idem est esse majus, quod melius. Surgant moles montium saxis & rupibus, (b) Adamas punctum lapidic pretiosior auro est: tantum pretio illos vincit, quantum molis immensitate, ab iis supatur.

Si dicturus es in consilio centumvirum sapientissimo, & omni doctrinarum genere excuto; malles eorum aures indiscriminatim vulgaribus & impolitis, delectu nullo, nec ordine, nec soliditate profanare? an non gemmas si posses, & aurum loquereris? Et non vides te libris quidquid ubique orbe toto doctorum hominum & sagacium est, affari, qui legendi tui & audiendi studio tenentur? Quin tu potius Phocionis consilio uteris, qui rogatus, quid tam diu cogitabundus animo versaret; Sum, inquit, dicturus ad Athenenses, & verba retracto singula, ne quid excedat mihi quod forte dici minimè deceat. Tu igitur qui scribere, qui scripta in publicum emittere cogitas; juxta prudens poetæ monitum

*Laudato ingentia rura, exiguum colito:*

*Moles voluminum gigantæas nulli invideas;*

P 6

(a) 6. de Trinit. (b) Manil.

264 : *Character Hominis literati,*  
deas, æmulare si quid in iis est rarum, & ~~atque~~  
dignum : scribe aliquid quod solum, multo-  
rum & laudem, & pretium æquet; de quo me-  
ritò dici possit, quod de suâ Ceres Proserpinâ:

(a) *Numeri damnum Proserpina penset.*

Altera origo editionis librorum infaustæ,  
delectus est iniquæ materiæ , & cui sustinen-  
dæ par desit ingenium. Ode, epigramma, si mi-  
le aliquid typis est datum, & placuit, fingitque  
mox animus se ad Heroica & Tragica vocari.

(b) *Non ideo debet pelago se credere , si qua  
Audet in exiguo ludere cymba lacu.*

Si tentet Hercules cœlum vi capere , quid  
mirum ? ihexpertus non facit, sensit quantæ su-  
molis & ponderis.

c) *Et posse cœlum viribus vinci suis  
Didicit ferendo.*

Metire humeros de onere quod moliris,  
post si videbitur par oneri cervix , tolle sis o-  
nus, & bene ambula. (d) *Prudentia hominis est,*  
*nosse mensuram suam , nec imperitia sua orbem*  
*testem facere.*

Junga  
(a) *Claudian.* (b) *Ovid. 2. trist.* (c) *Senec*  
*Hercfur.* (d) *Hieron.contra Vigilant.*

Jungatur Briareo Argus, nec centum præcipitent ad scribendum manus, nisi centum illis oculi præstò sint. Ne te campus ingens nobilis argumenti sic importunè sollicitet, ut non sinat te alas & vires ptiùs attendere, quam te aeri credas. Alas remitte quibus altius quam decet eniteris; & in hoc ciconiae pullos à nido recentes imitare: alioqui certius ad casum, quam ad volatum impelletis. Sed de hoc erit aliis agendi locus.

Tertia causa frequentiorum, in edendis libris, aborsuum verius quam partuum, impatientia est foetuum formandorum, priusquam edantur. Frustra illis sed caute occinit, scribendi magister & canendi.

(a) — Nonumque premiatur in annuns.

*Membranis intus positis, delere licebit*

*Quod non eäderis; nescit vox missa reverti.*

Quid igitur mirum si fungus unâ horâ natus, intra duas marcescat; & nostræ (quod ajebat Plato) lucubrations in hortos mutentur Adonidis, qui subito ex die uno nati, celeriter pereunt?

Vix sufficiebat Græcia suppeditandis Agathacho pictori telis & coloribus; adeo is nihilo plus temporis in pingendâ tabulâ pone-

P 7 bas,


(a) Horatius Arte poet.

bar, quām Sol in Iride : sed ex tabulæ contemptum inter fori quisquilias appensæ , ævi non erant longioris, quām milites de Cadmi semente progeniti. At verò Zeuxis in partu suorum operum tardior elephanto , penicilli ductum omittebat nullum, quem ad criticum examen crebrius non vocasset ; suadente illâ, cui uni pingebat , operis immortalitate. Viri docti quod scientiores , & sapientius cordari, hoc semper fuisse in censurâ sui aciores. Gnatius quisque illorum se sua auribus , oculis & examini credere virorum sapientum & eruditorum, agebat apud se tacitus, quod de se testatur Plinius junior. (a) *Nihilest cura mea satis. Cogito quām sit magnum dare aliquid in manus hominum ; nec persuadere mibi possum , non & cum multis , & sape tractandum ; quod placere , & semper & omnibus cupias.*

Atque hactenus ad illos , qui parcius ab ingenio instructi, assument scribendi argumenta, magnis ingenii paria Nunc verò præterire illos non debeo , qui præstantis ingenii dotibus, naturæ munere acceptis , utuntur perpetram; suâque tūm studia , tūm aliena materiis occupant, (b) *quas , inquit Arnobius , neque scire compendium , neque ignorare detrimentum nullum est.*

Quām

(a) *Lib. 7. Epist.* (b) *Lib. 2. contra gentes.*



*Quàm infortunatus in studendo sit  
labor, qui confertur ad inutilia scribenda.*

**M**agistris chymices plus bonæ fortunæ quàm sanæ mentis adesse dicitur. Mennem certè non habent, quanquam illo ex denso communis stultiæ ramali, sortiti videntur pulchriorem ramum, nempe auréum illum priùs ad inferos quàm ad Elysios perducentem. In hoc præterea sunt fortunati, quòd dum artis præsidio illum investigant philosophorum lapidem pretiosum, negotio facili id planè quod quærunt inveniant, illam videlicet paupertatem antiquam & auream, quæ philosophum omnibus exuens, unà omnem illi sollicitudinem eximit servandi quæ habuit, & metum ac periculum amittendis quod utrumque fuit jus ætatis auræ prærogativum. Argentum vivum congelare certant in mortuum; nec vident Mercurium furandi principem aliena tollere doctiorem esse, quàm de suo dare. Contendunt lunam in solem mutare, velut nesciant lunam tunc magis deficere cum est soli propior. Sed præ omnibus suspicienda

cipiā vis spei illorum blanda fascinatrix, quæ  
mentem stolidis cerebro exxit, somnum o-  
culis, manibus nummos, pectore amorem om-  
pium, adeò sunt excæcati, ut supplicii sui con-  
tinui non agnoscant cruciabilia instrumenta;  
torqueanturque revera sæviüs metallis quæ  
torqueantur, imò & stupeant nullo doloris sui  
sensu. Videas miseris ut papiliones ad volitare  
perpetuò lucernæ tenui, exiguum calorem an-  
gustæ fornaculæ dispensanti; ejusque luminis  
arridere simul, & fumo flere, quo ad opere ab-  
soluto, pro vivi (sic enim vocant) seminis pro-  
ventu, cuius illos tenebant magnæ spes; n-  
um illud colligunt, *Ex nihilo nihil fit.* Diffla-  
vit illam subitarum opum expectationem fla-  
tus ridiculus. Globo vitro insistens fortuna,  
rupto globo ruens collum fregit: ex quo co-  
fliant, si modo sapiant, non gigni aurum nisi  
commerciis; nec nisi circa argenteriorum  
mensas concrefere.

Duacus his lineis videre placuit, chymico-  
rum vacuam & stultam operam, qui fumo  
vendunt lacrymoso quidquid sunt, & quid-  
quid possident; ut in ñs notarem clarius tot  
amentiam scriptorum, qui abunde ingenio  
prædicti, labore, tempus, valetudinem fati-  
gant in elucubrandis nullius frugis argumen-  
tis; & libris edendis, in quibus scribendis vita,  
legendis tempus infeliciter omnino canteri-  
tur.

Scio

(a) Scio à Favorino scriptum, ad restituendam ingenii aciem, longo otio retusam, nihil magis conferre quam tractationem materiae iudicæ & inanis. Sic Thersites ipse, & quartanam laudavit ; Dio cæsariem ; Calvitium Synesius ; Lucianus muscam ; sexcenti talia. Verum aliud est recreare fessum ingenium lepidis argumentis, & eorum hilaritate sophum expergefacere, aliud nervos intelligentiae totos in iis contendere, & annosis studiis frangere, nullo aliunde gloriæ pretio, quam quæ potest ex illis quisquiliis colligi.

Satīn' tibi saperē videtur Aristomachus ille, qui annos sexaginta in observatione apum scrupulosissimā, & minutissimā consumit. Evidem conseruo illum tot annos & tantam diligentiam temere imprudenterque profudisse, quibus omnium quæ latent in cælo, & certam planetatum distinctamque notitiam emere potuisset. Irascitur Seneca in philosophastros ævi sui, qui nocturnas vigilias, & diurnarum concertationum clamores assiduos, conferebant in puerilia, non risu modo sed ferulis digna. *Mus syllaba est: syllaba caseum non rodit: mus ergo caseum non rodit pueriles impicias! in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus? hoc est quod tristes docemus,* & pallidū vulgo.

(a) Gell. l.17. c.12.

Vulgò dicitur pueritia duplex esse, altera post cunas & fascias, altera post viride senum : re-puerascit enim tunc ætas nimia. At verò qui vitam in his inanibus studiis, & puerilibus nū-gis occupat ; (a) non bis puer est, ut vulgò dicatur, sed semper ; verùm hoc interest, quod majora ludit. Cui bono ? nere in telam viscera ad aucupium muscarum ? retia Neronis ex au-ro & purpura ( mentem dico præclaris idoneam lucris ) ad pisciculos captandos, & macros, & malos demittere ? Qui non miretur, scribit de Platono Plinius, *arborem umbræ gratiâ tantum, ex alieno petitam orbe ? Usque adeóne rarae in Europâ umbræ ; aut umbra Platani barbara ; idcirco melior ; & digna quo per naufragia ex mundi confiniis veheretur ? Tanta est nimirum nugarum futilium ubique penuria ? ut juvet iis gravi studiorum, & noctium, vitæque adeo multæ sumptu, numerosas farcire paginas ? Si possum animo in selectam prædam cum aquilis, & accipitribus assurgere, cur malim cum alaudis uno gariendi desiderio alas explicare ? volatu me à terrâ sursum attollere ? quod illæ dum faciunt, tandem cantillant, quoad ruptæ garitu cadant; suo illo cantu adeo lætæ, ut si canendi magistræ cœli Sirenibus fuissent.*

Scribit Oviedus, Indias occidentis xylo, sale, alumine

(a) *Lactant. lib. 2. c. 4. ex Senecta.*

alumine & talium mercium supervacaneo proventu affluere, illas navi & vectu dignari neminem; auro duntaxat iis in portibus, & argento, & gemmis, & aromatis mercatorum naves onerari. Neque verò aliter navigationi tam arduæ ac periculosæ, qualis tunc erat, sua laus, & pretium constitisset.

Proh! quām diversa est alterius generis mercatorum inconsulta negotiatio! Navigatio vitæ hujus quam fermè in studiis ponit; felicitas indolis, & scribendi labor quibus potestis rem litterariam auro & unionibus augere; quo tendunt obsecro? Quibus, amabō vos, mercibus locupletamini? fabellis nimis; altercatione frivolâ quæstiuncularum; mugis, propè dixi, heroicis; amatoriis (inquam) mugis; restituzione textuum, aut depravatione potiūs; emendationibus arbitrariis, conjectaneis, imaginariis; & quid plura? *Quare appenditis argentum vestrum, & non in manib⁹?* ( inquit sacer vates Isaias. ) Quod cum exponat B. Hieronymus de sacerdotalibus studiis, quantò verius de vestris, cum plane inanibus, tum sæpè fatuis dici potest? An vivit aliquis Tiberius, qui vos matris Hecubæ nomen, qui usurpatum ab Achille inter Lycomedis virginis absconso nomen edere jubeat? qui roget, quid Sirenes prætereuntibus nautis canerent? Utram Veneris manum Diomedes vuln-

vulnere violârit? utro pede claudicârit Philippus? An aliquis Domitianus ad quotidiam & diuturnam muscarum venationem vos invitat? Amplitudinem Romæ urbis ostentaturus Heliogabalus, aranearum telas omnes, totâ undique decussas & collectas urbe, exaggeravit in montem dicens, magnitudinem urbis ubium Reginæ, stolidè arbitratus hoc documento contineri. Stultum hunc nemo sapiens non videt; est tamen illorum archetypus, qui experimentum sui publicè præbituri, araneis pluribus quam foliis libros implent argumenti planè inutilis, & translationis evanidæ ac prorsus inanis. (a) *Vnam taceretis, & putaremini esse sapientes. Plaudat iis, si vultis, stultorum amicorum fatuas celebris; alia propterea non erunt illorum, quam quæ in Baechi spectaculis laudavit Diogenes, magna stultorum miracula.*

Inter hæc tamen obiter adverto, et si cum aliqua fortassis auctorum offensiuncula, debere illam primo loco reponi, quam S. Basilius ut rectè, sic eleganter pronunciat, negotiosissimam prorsus vanitatem, astrologiam, dicamne judiciariam, aut judicii expertem; despectu magis stellarum dignam quam asperitu, et si omnes ex iis hauriat mendaciorum merces, quas nobis propterea venditat carius, quod

(a) *Iob. 13. 3.*

quod eas cœlo accersivit? Horum ars est domos fabricare in cœlis duodecim, opificum manibus, qui saepe in tetra tecto carent, iisdem ut plurimum victus in opia mendicis. Horum ars est dispensare opes hominibus, sortiri dignitates, infortunia & pœcipitia, & quæcumque timentur minari; quibus id meritò dixeris, quod ejusdem audaciae cuiquam audenter Diogenes; (a) Quandonam è cœlo venisti?

Profitentur se illo in grandi, quod Deus extendit, voluntate, eujuseumque ostenta, & vices, & beatitates legere fortunæ, characteribus stellarum splendidis, & arcans scriptas aspectuum notis. Ajunt in astrorum periodis, sc̄ vitas cernere singulorum; stellas & plauetas se posse Trino, Quadrato, & Sextili quasi magicis adstrictos figuris adigere, ut vaticinentur eventus ancipites publicarum, & privatuarum rerum. Jactitant demum sese futura certò prædicere, ex similitudine observatarum figurarum; cum tamen nulla unquam iis simulis in cœlo extiterit, quæ suspensum ex se teneret legitimum nascendi articulum; cuius quidem illi articuli pondus Hermetis laice pendunt, ex vi figurarum cœlestium quas prout dictabat inanis imaginatio finxerunt alii, vel ipsi ex suo quodam mysterio notarunt; iesbus fulti omnino vacuis, & soliditate omni cassis;

(a) Laerius

cassis; quales sunt nodi ambo, & partes u-  
triusque fortunæ. Vero demum, si quando est  
ab iis non ex arte inventum, sed casu oblatum,  
perperam abutuntur ad conciliandam suis  
mendaciis fidem; & unam mille inter falsas  
prædictiones fortuitò veram jactant, ut falsa  
pro credibilibus venditent, credibilia pro  
compertis.

Quid hoc genere hominum facias, cuius  
sunt partes fallere homines in terra, in cœlo  
stellas infamare? Hos per me licet affigas  
Caucaso, & illis Promethei vulturem. Nisi  
fortè majus videtur crimen, cœlum mendax,  
fraudulentos planetas, malefica sydera facere;  
quàm de Solis rota scintillam rapere ad ani-  
mandas Epimethei mortuas statuas. Ne ta-  
men hac in lite Judex ego sim, & damno cu-  
jusquam pronuntiem, malo ad tribunal Ale-  
xandri severi rem totam remittere; qui Tuti-  
num sibi præcipue carum damnavit capitis,  
quod falsis promissis nundinaretur principis  
gratiam. Jussit enimverò hominem fumo  
præfocari, clamante interea magnis voci-  
bus præcone, *Fumo punitur, qui*  
*fumum vendidit.*

• 88:(†):88

A V A-

AVARITIA

*Reum esse Ignorantiae multorum,  
qui libris scribendis eam, cùm pos-  
sit, non corrigit.*

**N**ullius commodis magis invita laborat  
natura, nullius rem ægrius procurant ho-  
mines, quàm ejus qui curat neminem, & to-  
tus suus est, in frequentia populorum solus;  
peregrinus in patria; inter homines fera; In-  
dignus planè qui ab alib vitam acciperet, qui  
uni sibi ita vivit, ut nihil ab eo ullus accipiat.  
Hujusmodi sunt absque dubio qui avarum  
ingenium omni literarum refertum copiâ,  
petiuaciter clausum tenent, maluntque tot  
opes secum mori, quam scriptis liberaliter  
commissas, prodeesse posteris. Ut enim nullo  
præterquàm gloriæ post mortem immortalis,  
calcari pungantur,

— *An erit qui velle recusat  
Os populi meruisse, Cædru digna locutus,  
Linquere nec scumbros metuentia carmina,  
nec thns?*

Vetus

Verum urget illos validior publici commodi ratio, cuius neglectum, nequaquam sat purgat privatæ laudis contemptio. Nec enim cœlitus sapientia nobis dono datur, nobiscum ut pereat; sed mutuo, ut transferatur in posteros; quod arbitrariæ non tam est liberalitatis, quam rigidi juris. Excipiatur sanc. lumen Solis, sed transmittatur inferius; nec subtrahatur oculis alienis, quod non est nostris jam necessarium. Ergo nostri majores, tot ante nos seculis, solitarii, pallidi, & studiorum labore infracto, macilenti, plures anni dies, quam diei horas de vita sibi ademerint; ut magnis contentiobibus de locuplete ingenii sui venâ thesauros nobis aureæ veritatis exscinderent; & gemmas refoderent nondum orbi notas; atque hoc suum patrimonium privatum, id publicam hæreditatem transcripterint; nos avisi ingrati, nepotibus invidi, & sua & nostra eodem nobiscum sepulchro condemnus? Profectò qui se inter illos & futuros deinceps medium statuet; cogitabitque illorum exemplo, quid debeat; istorum bonum quid exigat; non satis intelligo; qui possit aut illis negare imitationem, aut suam eis opem. Nam si eorum imaginibus inspectis, - qui bello & pace claruerunt, pungitur animus ejusdem stimulo gloriæ; dum libri nobis ingentes animas ex quibus orti sunt, velut spirantibus etiamnum statuis

statuis repræsentant; quem non inflammaret  
vel sciendi ardor quæ ignorat; vel pudor ava-  
rè retinendi, quod alii publicis utilitatibus di-  
cārunt? (a) *Sume in manib[us] indicem Philo-  
sophorum, hac ipsa res expurgisci te coget: si vide-  
ris quam multib[us] laboraverint, concupisces, &  
ipse unus ex illis esse.* Est, inquit Philo, Sapien-  
tia Sol; hanc splendore qui privat, destruit:  
& mentes sublimioris intelligentiæ, flammis  
& igni symbolas faciunt multi Platonici; I-  
gni (inquam) (b) *Cujus unius ratio ratio fœ-  
cunda, seque ipse parit, & minimis crescit scin-  
tillis.* Hoc majorum exemplum, si debilius  
persuadet, accedat commodum posteriorum,  
quibus nisi barbarè admodum negare non  
possimus, quod sumus nostro cum lucro da-  
turi, suo illi commodo & bono accepturi.  
Tollitur hæc de mundo sacra lex, quam nobis  
natura, non mos lapidibus insculpsit; ut amo-  
rem nostrum, sic nostra posteris relinquendi;  
nunquid exinde mundus & barbarus, & agre-  
stis, & nullus sit? Quod si putamus fortunatos,  
qui consanguineos sibi superstites pingui cen-  
su augent, & familiæ splendorem opibus ma-  
gnis stabiliunt quæ major esse ac relinquere po-  
test hereditas, quam quæ coaluit ex divitiis  
animi

Q

(a) *Seneca cap. 39, de insomn.* (b) *Plin. l. 8.  
f. 447.*

animi, & opulentia ingenii, longa studiorum negotiatione exerciti? Hanc non atterit usus, non tempus minuit, nullae absorbent vel publicae vel privatæ clades; semper viva, semper integra, suo nunquam non primogenio pretio, & utilitatibus censa. Quo sane valido argumento hortabatur amicum Plinius, ut studiorum suorum fructum aliquem publico daret. (a) *Effinge aliquid, & excusat quod si perpetuo tuum; nam reliqua rerum tuarum post te aliud atque aliud dominum sortientur; hoc nunquam tuum definit esse, si semel cœperit.* Scio equidem istorum tenacitas sordida quid opponat? Rei meæ (inquiunt) nulli sum debitor: sudent illi, ut feci; & per se invenient, quod pudor sit emendicare ab aliis. Hoc vero est pium esse non saxeum; literarum amicum, non literatis inimicum. Alias pigrâ educationem marcent ingenia, dum norunt sibi apud alios parta, quæ suo labore ab se querere debuissent. Ingeniosos facit necessitas, & tandem magistros, qui futuri erant semper discipuli; dum sua iam docent, ac proferunt, qui nihil norant præter aliena Sic singuntur Achilles frangendis cum labore leonum ossibus, ut eorum vescatur medullâ. Sic peritissimi evadunt natatores, qui sœpè luctati cum fluctibus, & ubi rapidior est alveus interdum relicti; necessi-

cessitate ipsâ magistrâ edocti sunt, quod diu  
& lentè ars docebat.

Sed parùm vident isti defensores, & vel sui  
commodi, vel ignaviæ suæ patroni. Sic enim  
literæ semper quasi nunc natæ, nunquàm ma-  
tutæ, semper infantes sint ; nunquàm natu-  
grandes, & in justam proceritatem auëtæ ;  
si quis multos post annos quærendo insum-  
ptos, neminem doceat quod invenit. Enim-  
verò, ut nunc aliquis pari felicitate & sollici-  
tudine ac cæteri, qui præcesserunt, incubat  
studiis ; si nihil præterea noverit quàm quod  
alii didicerunt, unde cresceret res literaria? Quin  
imò nosse quod alius invenit, viam sternit ad  
invenienda, quæ invenit nemo ; sicut nobis  
principia, quæ illi consecaria sunt ; inde inci-  
pimus quærere, ubi is desiit. Sapientia ( inquit  
S. Augustinus ) sponsa est non ancilla, & pro-  
lem de se videre expetit, hoc est, ingenii fructus,  
et quosdam mentis partus, quos non tam libros,  
quam liberos dicimus. Hoc si non impetrat,  
non ut illa Carthaginis Regina dolens & la-  
chrymans in hæc verba erumpit :

— *Salem mihi parvulus aula  
Luderet Æneas;*

Innocens filia virginitatem acerbius quàm  
mortem luget ; morte gravius pñtans, quàm  
suâ

suā in prole post mortem non vivere. Neque verò posteris illos ingenii factus non relinquare, miserum solum videri debet; criminis affine est eos culpā nostrā non relinquere, & venturis æstatibus quodammodo invidere. Nam si aborsus culpæ reus, homicidii ream matrem constituit; (*a*) & qua originem futuri hominis extinguunt, parricidium faciunt, antequam pariant; in sapientiæ utero fœtum præfocare cuius est gravida, ne in lucem edatur, nonne parricidii genus est? Nonne est (*b*) homicidii festinatio prohibere nasci?

Tuentur sealii annorum imbecillitate; se necutem excusant; non posse se aliis vivere, qui sibi ægrè vivant; post tot ultrò citroqne discursus, negari crudeliter ut nido se reddant, vel ut à longa navigatione vela colligant & portu fruantur: Denique aliud nunc tempus, curas alias poscere; priores in somnum ultimum oculos, quam ad noctium lucubraciones, nec posse aliis sine periculo erroris se duces præbere.

Sunt hæ hominis voces, quantum intelli-  
go, annos quos putat sibi residuos, non tam  
optantis pacificè vivere, quam segni morte  
prævertere; mortem hic vivo, vitam inertiā  
sepul-

(a) Minus. Eel. in O. Sav., (b) Tercius. An-  
pol. cap. 9.

sepultam. Varro decrepitus hoc librī instabat jucundius, quod intelligebat se vitam proferre; sed vitam hominis; discendo, & intelligendo: seque ipse admonens ajebat:

(a) *Dum bac musinamur, pluribus horis vivimus.*

Seneca sublimis illa mens, de semī frigore ardorem excibat ad studendum; unde alii ad īnēs otium abjecti sunt, īdīdem ille ad laborem erectus, annos vitæ, quam totam non vivit, ultimōs contulit ad eruenda in lucem arcaña philosophiæ naturalis; & hoc scipse non satis capiens, canebat suō cum Poeta:

(b) *Tollimus ingentes animos, & grandia parva  
Tempore molimur.*

Inde quasi pigra fodicans latéra; festinemus ajebat, & opus, nescio an superabile, magnum certè, sine etatis excusatione tractemus.

Quis ( inquit Plutarchus ) observavit apes ullo unquam senio inertes, otiosas, ad mellā desides, abstineret volatu, floribus & prædatiōne?

Q 3

F 2

(a) *Plin. pref. l. 1.* (b) *Praefat. l. 3. qq. non  
tux.*

Facultatem mihi, ajebat Gellius, (c) scribendi si abstuleritis, vitam abstulistis : *Neque longiora mihi dari spatio vivendi volo, quam dum ero ad hanc facultatem scribendi, commentandique idoneus.* Nolo mihi diutius vivere, quam dum possum aliis scribere.

Sit ergo is vitae literatis ordo & dispensatio, qualis fuit Romanis olim Vestalibus. Primit annis ritus & ceremonias, majorum discipulæ docebantur ; secundis, ceremonias illas exercebant, sociæ aliarum ; Tertiis easdem, magistræ juniorum, tradebant minoribus. Sic flores caducis frondibus, & fructus floribus prosperè succedebant.



### *Bonorum auctorum felicitas incomparabilis.*

**D**esiderium vivendi, mille artes invenit nunquam moriendi. Scilicet herbis Medicæ carebant Medici ; & Jovis ambrosiæ quibus vitam sibi immortalē accerferent : Quia immo ( inquit Sidonius ) (b) medici affidentes & diffi-

(a) *An sen. regenda. Respub. in fine Noct. Afric.* (b) *L. 2. ep. 12.*

*& dissidentes, parum docti & satis seduli languidos multos officiosissime occidunt. Vivenadi ardor excoxitavit telas, marmora, æra, mausolea, triumphales arcus, theatra & moles, quibus inscribendis, colorandis, sculpendis, fundendis, si minus totos in vita homines, servarent saltem eorum aliquam speciem : sed nibil æquè vivos post mortem homines representat, ut prognati ex iis filii, quibus genus humanum propagat natura, & privato cuiusque vitandæ mortis satisfacit studio. (a) Mortuus est pater, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. Transfundit enim se adeò in filium pater, ut in eo etiam mortuus, & vivat & spiret. Tam procul nihil seciùs à patrum vultibus, imò & indole, & conditione morum exerrant filii, ut Apis Ægyptiorum Deus ex patre fulgure bos nascatur. Patrum voluntati genitalis temperies nequaquam obsequitur, sed naturæ ; nec ii formant quos volunt filios, sed quos possunt. Libri quos edit melior nostri pars animus, ejus sunt filii, hæredes, vivæ imagines : In iis solùm virtutem tantum habemus repositum, quantum haberi post mortem potest. (b) Contingit dissimilem filium plerumque generari ; oratio dispar mari-*

Q 4

bus

(a) Ecclesiastic. cap. 30. (b) Cassiod. Prosem. Variar.

*bus vix unquam potest inveniri; est ergo ipsa  
valde certior arbitrii proles.* Est ( inquam ) pro-  
les immortalis, cuius subsidio, post vitam mi-  
seriis mortui, incipimus gloriæ vivere; ut re-  
cepimus cœlo ex terris Hercules, fulgere cœpit  
laborum suorum stellis; post vitam in rogo,  
& pugillo cineris relictam.

Ac sanè quibus firmamentis stabilius ma-  
gnorum hominum gloriæ , & meritorum  
nomina fulciuntur, quam librorum immorta-  
litate? Inspiciamus rerum strages, quas agit  
ubique omnium edax tempus, præcipitando  
alias, reliquas sensim & lentè arrodendo. Ru-  
pes sub annorum decrepitæ pondere, subsi-  
dunt; in sepulchrum curvantur, membratum  
dissiliunt, ossiculatum disperguntur; & ipsæ  
quoque mendicatae videntur e subjectis valli-  
bus tumulum quo tegantur. Tabescunt rubi-  
gine, quæ sunt ferrea, & limâ temporis pulve-  
rascunt. Altissima quondam palatia superbis  
minuta capitibus, semel nunc ostentant æ-  
dium cadavera, e quibus si pars aliqua muro-  
rum non iam stare, quam ruinam perpetuam  
minari videatur, ea videtur à tempore relicta,  
ut esset potius ejus trophyum victoriarum, quam  
pristinæ magnitudinis aliquod monumen-  
tum. Ubi olim Deorum tempora. Imperato-  
rum aulae, Senatorum sedes, Doctorum ex-  
dræ fuerant; nunc cubilia sunt laporum, bu-  
bonum

bēnum nidi, latronum receptus. In hac strāge annorum, in iis ætatum ruinis, quām magnificè invicta sæculis attollant capita, vivaes reliquæ ingeniorum præstantium; quam vivant in morte omnium securi, & æternâ vivent senectute libri eruditæ, & in libris ipsorum parentes, dicat Stoicus Romanus, & si. Ieo. (a) Coetera qua per constructionem lapidum, & marmoreas moles aut terrenos tumulos, in magnam eductos altitudinem constant; non propagabunt longam diem: quippè & ipsa intereunt: immortalis est ingens memoria. Hoc idem suo suffragio confirmet acutus Poëta:

(b) *Marmor Messalla scindit Capricius, & audeax*

*Dimidios Crispi mullo ridet equos.*

*At chartis nec furta nocent, nec sacula præsumo;*  
*Solam; non norunt hac monumenta mori.*

Fortunatus Metellus! qui filiis quatuor succollantibus ad sepulchrum elatus; primis consularibus, tertio tunc, & quarto post pallium Consulibus; Velleum movit, ut diceret, (c) hoc est nimis magis feliciter de vita migrare, quam mori. Ut cumque sit tamen de vita migrat,

(a) *Consol. ad Polyb.* (b) *Marzial. lib. 10.*

*Ep. 2. (c) L. 1. Hist.*

*Character Hominis Euerati,  
migrat, & à filiis effertur. Patentes suos non fi-  
lii quatuor; sed quām multi prodeunt in lu-  
cem, eorum libri, morti creptos & cineri, ubi-  
que cum pompā circumferunt, deponunt in  
omnium manibus, oculis, veneratione.*

*Quot suā patriā obscuri, & dote ingenii  
paucis noti, librorum suorum præconio om-  
nium animos, omnium sibi existimationem,  
& laudem conciliant; ut lyra Orphei ( inquit  
Manilius ) in terris præclara quidem & admi-  
rabilis; sed longè claxior & admirabilior in  
cœlis.*

*Tunc Sylvas & saxa trahens, nunc syders  
ducit.*

Argumento sit blandum illud, quo vulgo  
tenemur, desiderium spectandi quo essent  
vultu, colore, conformatione totius oris; qui  
sui speciem animi tam pulchram suis impres-  
sionam operibus reliquerunt. Hinc tanto studio  
eorum & pictæ, & sculptæ sunt viventium i-  
cones; atque his etiam ætate & oblivione  
jam deletis, ad aliquam veri similitudinem  
confictæ. (a) Non enim solum ex auro, argen-  
tove, aut etiam ex are in bibliothecis dicantur  
illis, quorum immortales anime in iisdem locis  
loquim-

(a) *Plin.l. 35.cap. 2.*

*loquuntur: quin imò etiam que non sunt finguntur; pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit. Quo majus, ut equidem arbitror, nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit quis.*

Quin & ubicumque perplexis angimur difficultatibus, memoria statim illos requiri mus, qui esse nobis earum Oedipi potuissent. (a) Alexander festinum lætissimi nuncii bajulum, vix sui præ gaudio compotem prævertens; quid novi, ait; nunquid Homerus ad vivos rediit? Quippè nihil poterat tantus Princeps optabilius audire, et si par erat orbis imperio.

Nunc si rogemus viros doctos, & exquisitè literatos, quo, præter communia, peculiari desiderio singuli teneantur; dicturos arbitror magnam partem, in vitam ut redeat Plato, Aristoteles, Cœus senex; ut Galenus, Archimedes, Ptolomæus; ut Virgilius, ut Homerus, ut Demosthenes, Tullius, Livius, Xenophon, Ulpianus, multoque ardenter sancti Paulus, Chrysostomus, Augustinus.

Non vixeré illi tam diu, quam erant hominibus utiles & necessarii; semper enim est eius acerba mors, qui mori sine damno publico

non

(a) *Plut. quomodo quis profet. &c.*

non potest, ut qui tantum publico viveret. (a) *Mibi autem ( inquit Plinius ) videtur acerba semper, & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivende causas quotidie finiunt : qui vero posteros cagitant, & memoriam sui operibus extendunt ; his nulla mors non repentina est , ut qua semper inchoatum aliquid abrumpat.* Hi Soles doctrinarum quorum radius floret terra, vigent scientiae, saecula illustrantur ; ecquid illum honorem videntur promeriti, quem lucis conditor luci attribuit. Primam siquidem illam suâ laude, sua inter omnia opera, suo ore dignatur; non tam quod pulchra per se, quam quod quidquid videt pulchrum efficit, & formosum. (b) *Tanum sibi predicatorem potuit invenire, à quo jure prima laudetur ; quoniam ipsa facit, ut etiam cetera mundi membra digna sint laudibus.* Hi sunt quorum animos Seneca, & meritorum suspicit gloriam ; quorum adorat ortum in haec lucem ; quam viventes calcarunt terram osculatur ; momentum illud metens luger, quo vivis ablati sunt ; vocatque *Praeceptores generis humani & Deorum ritu colendos.* Et, quidni ? subderet Vitruvius. *Quid vetet quominus*

(a) *Plin. l. 4. Ep. ad Maxim.* (c) *Amb. l. hex. c. 9.*

minūs hoc afficiantur & nomine & honore?  
(a) Cum enim tanta munera ab scriptorum  
prudentiā fuerint hominibus preparata, non so-  
lum arbitror palmas, & coronas his tribui ope-  
tere; sed etiam decernit triumphos, & inter Deo-  
rum sedes eos dedicandos.



## O B S C U R I T A S.

*Duae illius causae: Confusi natura  
ingenii, & ambitiosi affectatio.*

**S**i falsum non constaret esse illud veteribus  
tam certò creditum; stellas custodes ani-  
marum & matres esse, suam illic habere u-  
numquemque, primæ, ut vocant, vel mediæ  
vel infimæ magnitudinis, pro gradu fortunæ,  
quam esset inter homines sortitus; unde,  
quæso, non nullas fluxisse cimmerias animas  
possemus fingere, nisi ex nebulosis, & lucis  
tam malignæ sideribus, ut stellarum magis vi-  
deantur maculæ quam stellæ? De animarum  
Æthiopum stirpe quadam has esse oportet,  
quæ obscuritatem à Sole ducunt parente lu-  
R minis;

(a) *Sen. Ep. 14. Pref. l. 9.*

minis; à matre ordinis sapientiā, confusio-  
nem meram; ex foco sacri Palladii, quo splen-  
dent accensa ingenia, nigrorem & carbones.  
Atque illæ quidem spretâ, præ oculis noctua-  
rum aquilæ pupillâ; quò sunt magis nocturnæ  
& obscuræ, hoc se ad Palladem putant sa-  
cratiūs pertinere.

Frustrà his eslet dicturus Socrates, *Loquere  
ut te videam*, ratus animæ speciem sermone  
contineri; quidquid proferunt & scribunt, ca-  
liginosam operam sic affectant, ut nisi ad  
chalybem crystalli tersissimæ, divinet nemo  
quid velint, quò tendant. O felicitate inge-  
nii infelices: O miseri Dædali torquendis la-  
biryntis tam infortunati, perplexi, & am-  
phictuosi, ut ex iis se ipsi vix norint aut pos-  
fint extricare.

Non est tamen Unius generis quam im-  
probamus obscuritas, nec eodem ubique ex  
fonte nascitur. Parit aliam natura, ex arte alia  
coalescit & coagmentatur; illam defectus in-  
genii, hanc ambitionis affectus inducit; illam  
facile venia & miseratio sequitur; hanc ju-  
stum odium, & vituperatio.

Vulgi aut error aut opinio est; obscurita-  
tem omnem, ingenii esse argumentum, ex-  
celositatem sublimis intelligentiæ ex ea colligi;  
ut montis Athos altitudo ex nongentis um-  
bræ quam projiciebat stadiis colligebatur: il-  
luminasse

luminasse naturam obscuras noctes stellarum nitore, & quibusdam sapientiae stellis obscura ingenia : ipsa Dei oracula caliginem esse perpetuam ; & lucem quam habitat inaccessibilem, & in qua videtur ; tenebras vocari, & quidem tenebras quibus una monstratur & clauditur : fuisse hunc stylum veterum sapientum, eorumque intelligentiam & grandium altitudinem sensuum, ut montium capita, sublimitatem nubium & cœli adamassè : scripta illorum ad piscatum hoc uberiora, quò magis turbida ; hoc apertiora ad deprehendendos carbunculos, & margaritas solidæ veritatis, quò densioribus tenebris prætexerunt.

Deceptum vulgus hoc veri suco, magis semper miratur quod minus intelligit : quod pellucet & liquet, quantæcumque sit altitudinis, propterea spernit, quod inspicientium oculos facile admittat ; aquæ palmum censet sapientiae magnum oceanum, quod prohibeatur illum oculis metiti.

Qui ambitu improbo, ingenii famam auecupantur ; hoc illusi errore, obscuritatem affectant & tenebras, suisque tum dictis tum scriptis, artificiosâ caligine vulgi venantur adorationem. Protheos agunt dum tenentur, ut clapsi tenentium manibus, non deprehendantur cuius farinæ sint. Ægyptiorum cudent

hieroglyphicas literas, ut veri medulla credatur subesse ficto mysterio mendacis suberis. Omnis illorū periodus nodus est Gordii, imperii præmio solvendus; verba omnia, Sybillæ folia, confusè ventis portare tradita, ut ex iis oracula scitentur stolidè creduli; apteque illis ea accommodent, quæ ne ineptè quidem auctores cogitârunt. Aliàs velut è machina suorum Deos figmentorum in theatrum inducunt, globo nubium ita obvolutos, ut particula duntaxat mirè digestæ rationis se exerat auctoritatem reliquis factura, sed quæ indigestâ cogitationum absurdarum mox turbâ obtruitur. Horum scripta dum legis sepiam pisca, malignitatis vafræ piscem, qui natuvi quod portat atramenti nigrâ proluvie cum aquæ serenum turbaverit, occultè se subripit.

*Naturam juvat ipsa dolis, & conscientia sortis,  
Vtitur ingenio.*

Quoties magnis fœtum putatur mysteriis quod mysterio planè vacat. Ii enim Timantem imitati, velo plerunque tegunt; quod nec possunt ingenio, nec arte norunt exprimere. Sic novos se putant Heraclitos (nam Heraclito cognomen σχοτεύδη fecit orationis obscuritas) & fortè idem libenter audiant de scriptis suis quod de similibus dicere solent e-

rat Pithagoras, *Opus ibi esse Delio natatore.*  
*Delphicam denique auctoritatem & fidem*  
*æmulantur, si nihil nec dicant, nec abscondant,*  
*sed indicent tansum.*

Alterum quod dixi obscuritatis genus est, naturæ vitio inditum, non pravitate voluntatis; hoc priori peior, quod experts emendationis. Quibusdam natura ingenitum dedit angustum, brevioris sinūs exiguitate complecti non valens partes indistinctas, nec nisi confusas jungere; aut absque totius mutilatione locum singulis assignare. Alios fervida incendit indoles, quorum ex ardenti cogitationum velocium conflictu tanquam ex incendio repentina, sumi plus saepius quam flammæ oritur. Puncto temporis sexcenta in modum fulgetri obeunt; nova & advertunt & requiritant; & discunt sexcenta. Felices si pondus huic flammæ accederet, possentq; injicere suo igni frænos. Ut enim rapidissimæ ad cursum feræ, confusa post se relinquunt vestigia: sic illi rebus solum attenti quas cernunt; nil attendunt ad modum ea exprimendi, quæ mens imaginibus, plerumque ab omni sensuum concretione avulsis, momento concepit. Inde ad eadem convenienti ordine disponenda, hoc magis inhabiles, quæ fœcundiores ad invenienda; dicendo scribendōve non tam unum effundunt partum, quam satus plurimos;

mos; quibus potest illum ingenii calorem, cum tranquillior est judicij oculus, reformandis & perficiendis, nec sunt idonei, nec possunt adigi.

Hæc est meo judicio, pars duplex obscuritatis vitiosæ, Prior ambitioso ex genio; Secunda servidioris aut angustioris ingenii fonte progenita; Tertia quoque & ipsa obscuritas haud quidem scriptoris, nihil habentis quod mediocris intelligentiæ homines non commodè capiant; sed legentium crassior imdoles, & ingenii parvitas.

Si à primis auctor incipiat & maximè universalibus principiis, quibus ad singularem descendat materiam, (quæ præcipua est, & nobilissima tractandi ratio; cum videlicet se toto nisu alarum, falconum more, ut ita dicam, attollit dicentis oratio; quò se majori imperi præcipitet in prædam: ) Si sapientiam suam certis quodammodo vestibus induat, quibus & celet oratio, quod non decet vulgari, & quod celari non vult aperiat; quem morem Synesius (*a*) per antiquum vocat *asque Platonicum*: Si scribat, ut quondam pingebat Timanthes, (*b*) in cuius omnibus operibus intelligebatur semper plus quam pingebatur; & cum ars summa esset, ingenium tamen ultra artem erat; Si (inquam) in hunc, quem dixi, modum

(a) *L. de insomn.* (b) *Pl. l. 35. cap. 10.*

dum sermonem suum autor instituat, tūm verò non desunt, qui querantur hæc non intelligi, qui noctem expostulent, obscuritatē, damnent, qui denique cum Tertulliano clament, *non lucerne spiculo lumine sed totius solis lanceā opus esse*. Neque enim norunt simplices in seipso animum referre, & agnoscere auctores scripsisse luculenter, se solos collyrio & luce indigere; & cum cœca Senecæ Arpaste medio in sole ridiculè conqueri *domum esse tenebrosum*

Quia verò ad emendandum obscuritatis vitium, si quidem sit ejusmodi, ut emendationem admittat, duo maximè valent, distinctio scilicet atque ordo, perspicuitatis parentes gemini; utrique tractando & commendando libri hujus servavi residuum, postremas scilicet octo illius sectiones. Quibus certè si fuis dissenseruisse de illis videbor, quam posceret instituti summa, haud tamen quod dicam, extra propositum esse videbitur. Enī inverò cessit mihi non infeliciter paucorum excogitatio & dispositio monitorum, quæ à primo delectu argumenti ad supremam ejus absolutionem, visa sunt fore scribentibus usui, ut tūm ordinatiūs, tūm faciliūs, atque adeò & feliciūs componant.

—**၁၃၂**:**၁၃၃**—**၁၃၄**:**၁၃၅**—**၁၃၅**:**၁၃၆**—

**D E M A T E R I A E D E-**  
**lectu, quæ scribentis vires non**  
**superet.**

PRIMAM h̄ic legem ponit Horatius, summi  
 inter cæteras momenti, ne Pygmæi cum  
 simus, in videamus suam Atlanti sarcinam.

————— *Versate diu quid ferre recusent,*  
*Quid valeant humari.*

Si nacti sumus aciem temperaturæ mollio-  
 ris, ne experiamur illam in ophite, porphyrite  
 aliisque marmoribus, quibus nullum sat du-  
 rum, nullum non impar scalprum reperitur.  
 Velum nostrum vento providè metiamur; &  
 temonem undis. Ne scapham in altum pro-  
 navi mittamus: Nobis dum scaphâ nava-  
 gimus pro oceano sit lacus; pro Indiis exilis in-  
 sula, non toto diei itinere peragranda.

*Altum alii teneant.*

Capiendis attentus pisciculis, si thynnū  
 videoas in tua retia properantem sese induere,  
 usquéne adeò te prædæ opimæ capiendæ spes  
     avi-

avidior dementârit, ut non memineris haud esse grandioribus hisce piscibus capiendis tuum rete validius, quam aranearum textum involvendis sistendisque crabronibus.

*Quot nunc Icaro similes occurunt, qui nec sat peritus in cœlo ales fuit, nec sat bonus in mari piscis? Hic merguntur natando, illiunc suunt volando præcipites. Frustrâ miser parentis misero metuens, extrâ lineaſ jam vago, quas illi præscripſerat, dum alas ejus humeris aptaret; frustâ procul inclamat sequens; caue erres, redeas,*

(a) —— *Medioque ut limite curras  
Icare, ait, moneo, ne si dimissior ibis,  
Vnde gravet pennas; si celsior, ignis adurat.*

Vicit periculum cupidus, & aures oculus.

(b) —— *Cœlique cupidine tactus  
Altius egit iter.*

(c) Sconsigliato fanciul, sciocca farfalla,  
Gia dal fuoco vicin' tocchi la sfera.  
Ne ti souien che debili alla spalla,  
Porti dentro le fiamme, ali di cera.  
Icaro, oi me! tropo alto Icaro sali;  
Icaro ferma il volo, e basla l'ali.

R 5

Neu-

(a) Ovid. *Metam.* l. 8. (b) *Ibidem.* (c) Italico suo reliqua sunt illa carmina, ne quid eorum elegantia versio latina detrahatur.

Neutrūm audit, dearmantur alæ : fuit ~~ca-~~  
ra ; nomen mari, suo casu & morte & sepul-  
chro facit. H̄abent hos exitus, permitti suo  
desiderio volatus, & alæ cœli spatiis impares,  
quæ transmittenda suscipiunt.

Argumenta sunt quædam Alexandri am-  
bitu superba, pingi nolunt nisi ab Appelle, nec  
singi nisi à Phydia, stylum odere, quicumque  
ille sit, nisi sit aureus ; aspernantur ingenia o-  
mnia præter sublimia, jure eodem (*a*) quo  
Jupiter montium vertices in terris delegit, ar-  
bitratus Deorum supremo suprema omnia do-  
beri. Dicatur igitur de optione argumenti  
appositiæ, quod de Fortuna p̄tisci sapientes di-  
xerūt ; instar esse vestis : meliorem esse quæ est  
corpori aptior, non quæ prolixior & major.  
Opus Pireico Pictori unum erat, pingere sta-  
bula & jumenta ; (*b*) Serapioni nullum, præ-  
ter cœlum & Deos ; at enim multum de sta-  
bulis, Serapionis cœlum ; multum de jumen-  
tis, ejus Dii habebant. E contrario Pireici sta-  
bula cœlestē aliquid spirabant, & jumenta e-  
jus ob excellentiam picturæ divinum aliquid.  
Non facit materia nomen artifici, nec pretium  
operi ; sed labor nulli artis peritiā securidus. Si  
tibi ex animi sententia cedit Piteici humilis  
penicillus, & ex plebeiis argumentis minime  
plebeiam vulgaremque laudem consequeris;

cur

(*a*) *Max. Tyr.* (*b*) *Appul. apol. 1.*

etur suos Serapioni Deos invideas; qui sublimioribus captus argumentis, deformabat pulcherrima; cum prudentiori delectu, potuisset ex deformibus formissimas edere picturas?

Quid mirabilius Archimedis sphærā? solertis illius, & propè divini' artificis; qui collectis in arctum immensis spatiis, tardatis primorum mobilium rapidissimis flexibus, depressā in globum altitudine cœli; orbem totum in compendium rededit: distinctis nihil secūs partibus, stellarum errantium servatā libertate, ordine cæterarum, varietate motuum, habitudine spatiorum; omnibus denique ex cœlestium amissi tam doctè compositis, ut si contigisset peccare Jovis cœlum, ita suarum molium aut cursuum versanda vastitate; potuisset ex Archimedis cœlo emendari. Hujus tamen laboris materia vitrum fuit, quam nec saphirus nec adamas præbere potuisset, nisi valde indignam, & imparem. Aeternitatem cœlestium vitro fragili conclusit; & vilis materia de operis pretio, & nobilitate nihil abstulit: Quam apud posteros vel memoriam vel laudem promeruit ingens illa & capax chryſtallus, quam Carolo quinto Mercator in globum formavit, insertis ex auto circulis, & numeroſo pro ſtellis adamante; ut si minus pulcram, ſaltem (ut ille alius Helenam ſuam) divitem fingeret?

(a) Illi Mercatoris adamantes tanto fuerunt contemptiores Archimedis vitro, quanto fuit ingeniosius doctius, admirabilius elaboratum Archimedis vitrum.

Neque propterea id ago, ut in materias humiles scribendi labor conferatur, quod soleat in his, quam in minus tritis, felicius studium & opera laborantibus nobis cedere. Duncax moneo, qui non sit Delius, nolit in gurgitibus natare; vadofis contentus sit: qui ~~nebulae~~ consistat, non sat liquidè novit; ne, quod cogitaverat Archimedes, cœlum tenter & terram mouere: neque tractandis se rebus oneret sublimioris intelligentiae, quibus nec mente, nec stylo sufficiat. Eximii operis pars princeps, argumentum est ipsius operis: si præstans, si nobile sit, si humum refugiens, dici non potest, (quod equidem experti norunt) quam mirè ingenium acuat; & quasi abjecta fastidiens, cogitationes suggerat excellentiam suam dignas, nec sustineat demissè explicari. Crescit enim (ait Maternus in dialogo seu Taciti, Quintiliani, cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram, & illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit.

Ac sane Phrygium opus nemo sat sanus  
cau-

(a) *In vita Mercat.*

cannabo rudi commiserit. Dedignantur illud  
gemmae, aurum & serica; & pudet in sede  
tam rustica videri. Incedunt superbi Tagus &  
& Pactolus arenis aureis quas calcant: aquei  
sibi non videntur, sed adamantini; Neque ve-  
rò ignobikor illo liquor tam pretioso fundo  
debebatur.

Optet ergo, qui putat se parem tractando,  
materiam nobilis argumenti; si optat ex sua  
compositione, partus similiter generosos &  
nobiles tollere; alioquin idem ei quod Archi-  
damo Spartanorum Regi continget, quem  
Ephori damnâtunt, quod frustum magis du-  
xisset uxoris, quam uxorem, (a) tanquam  
procreatus Regunculos non Reges.



*ARGVMENTI PARTITIO,*  
*& primis lineis adumbrata tra-*  
*ctationis ejus designatio.*

**A**Rgumenti delectum, quod nec vires su-  
peret scriptoris, nec dedebeat audituros,  
digerendum est certum in ordinem, & in  
quoddam uudorum ossium cadaver, suis ita  
distinctum membris, nihil ut ei desit, quod

tractationis integritas exigat. Est hoc artis magistræ potissimum specimen, & quovis alio laboriosius. Quod enim agit in corpore membrorum proportio, hoc agit partium discriminatio in compositionibus auctorum. Illic pulchritudinis & elegantiae mater est, quæ ex apta omnium inter se consensione partium efflorescit; hic mater perspicuitatis, quam ordo parit dilucidus. Quare Judicii pensum est, molis totius speciem integrum, tamque ideam apud se designare; membratim deinde partiri, suoque ordini & muneribus singula reddere, ut factum scribit Ovidius ab Amore in chaos illapso; universa tandem inter se connectere. Magna prosector dos est lucubrationis, per varias materias sic orationis corpus explicare, ut ubique sibi consentiat; ut extrente se nunc pede, nunc manu; post vultu, & pectore; idem corpus, & totum quavis semper ex parte intelligas.

*Nec primo mediū; medio nec discrepet immunit.*

Hæc præ omnibus in Cœlo suspicitur admirabilitas; discordium motuum tantâ concordiam, & errorum in stellis tam emendatam constantiam; ut nihil varietas dissonum, nihil multitudo pariat confusum; sibi potius amicè occurrant planetæ, & velut se mutuis invicem

etiam

etem aspectibus indicent sextili, quadrato, tri-  
no, opposito: quibus aspectibus alius non  
modò alium indicat, sed ipsum se inspectanti-  
bus vicissim ostentat. Ita est, inquit Manilius:  
*(a) Haud quicquām in tanta magis est mirabile  
mole.*

*Quām ratio, & certis quod legibus omnia pa-  
rent;*

*Nusquam turba nocet, nihil his in partibus  
errat;*

Nam institutæ scriptiōni justa divisio par-  
tium si desit, & qui pendet ex ea divisione bo-  
nus ordo; frustrà illam refercieris extraneis  
mercibus, effatis heroicis, cogitatis sublimibus,  
eruditione omni novâ & veteri, ut iis splen-  
deat ornamentis. Certum probabis, quod scri-  
psit Hippocrates, nempè *malè affecta corpora,*  
*quò plu nutrit, eò magis lades.* Quod si scrip-  
toris opus statuæ conferre volueris; hanc sa-  
nè statuam qui primæ manus rudi opere per-  
peram informârit, radat deinde licet ac poliat  
quantum volet; nunquam obtinebit ne inept-  
a sit, & monstrosa. Apum igitur mori sanè  
provido insistamus, quæ ceras ante omnia  
struunt, & cerarum cellas suis ordinibus elabo-  
rant; post mellis in prædam magnis agmini-  
bus profectæ, cerarum loculos, paucis  
diebus prædâ illâ implet.

*Appa-*

*(a) Manil. Astron.*

¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶

*Apparatus materiae quem Sylvam  
nominant.*

Inventionem argumenti, & partitionem compositio sequitur, quod est cadaveris skeleton, de quo dixi, suis carnibus, & pulpâ vestire. In quo, nœ illi videntur ludere, qui præter cerebrum, chartam albam, & stylum, cum ad scribendum nihil afferant; unà excogitandis, digerendis, scribendis: unà rebus, & ordini & modo attendunt, rati fore se his simul omnibus plusquam pates: tanquam ipsi sine Soles, qui conspectâ solūm in nube Iridem momento pingant, nullo colorum, circulorum, & dispositionis apparatu.

His; unguis dum mordent, dum spectant lacunas, secun altercantur, multa scripto & sœpè inceperint, nihil absolvunt; opportunitè aliquis in aurem insusurret. *Ex nihilo nihil. Vnde tibi aurum pluat è capite, cuius venæ ramulum non habes?* Visfluat & cusum & legitimi ponderis, ac typi? Vis idem chymicum cælatorem, inspectorem, quæstorem, principem agere, hoc est nihil? Mera est hæc & recta, ut nihil

nihil agas, vena. a) Ne igitur resupini, inspe-  
ctantesque tectum, & cogitationem murmure a-  
gitantes, expectemus quid obveniat. Compo-  
nere, ædificare est. Solum & ichnographiam  
qui habet, nihil dum habet; calceopus est, la-  
pidibus, trabibus, ferramentis, alias nulla con-  
surget fabrica. Quare (b) *Sylva rerum*, &  
*sententiarn paranda est, ex rerum enim cogni-*  
*tione efflorescere debet & redundare oratio.*

Qui mente non geris bibliothecam vivam,  
longo prius & magno studio collectam ex hi-  
storia & sacra & prophana; naturali & ci-  
vili; politica & juridica; ex ritibus, senten-  
tiis grayibus, atque etiam ex fabulis, hierogly-  
phicis, proverbiis; & quod his præstat, ex  
philosophia tum naturali, tum morali; addo  
& de mathematicis, medicinâ; & quoad opus  
sit ex Theologia; hanc qui secum ubique bi-  
bliothecam viventem non circumfert, opus  
est mendicet ex auctoribus mortuis necessaria  
sibi ad quotidianos usus.

Parum refert præclari conceptus propositi;  
si dum id parturis, deesse lac sentis, quo illud  
nutrias; proindè fame illico inhonestâ tuis  
in manibus peritum. Ob hoc Alexander  
benigne recusavit Stasiratis operam, sta-  
tuam illi ex Atho designantis; quod agris  
careret

(a) *Quintil.l.10.* (b) *Cic. 3. de Orat.*

*Character Hominis literati,*  
 careret urbs illa , quam in altera ejus manu  
 locare statuerat. (a) *Delectatus enim ratione*  
*forma ; statim quæsivit si essent agri circa, qui*  
*possent frumentariâ ratione eam civitatem tue-*  
*ri. Quos ubi audivit deesse, miti repulsâ scul-*  
*ptorem improvidum nictando dimisit. Vt-*  
*nim natus infans , sine nutricis lacte non potest*  
*ali, neque ad vita crescentis gradus perduci, sic*  
*civitas est. Sic & argumentum, quantumvis*  
*illustre, si destituatur, quo alatur & crescat,*  
*pabulo ; velut germen inter desertæ Arabiz*  
*recoctas arenas editum, non prius humore*  
*quam vitâ deficit. Quamobrem prudenter*  
*faciunt, qui priusquam apud se decernant*  
*quodlibet tractare , supellecilem consu-*  
*lant, vel suam si quâ pollent, vel alienam*  
*si proster ad manum , ex qua illud opî-*  
*ment, & exornent. Ut periti ( ait San-*  
*ctus Ambrosius ) architecti , ædificant*  
*aliquid , nihil prius, nihil solertiùs cogitant,*  
*quam unde vel quâ lumen clarum immittant*  
*in omnia ædificii destinati conclavia omoes-*  
*que angulos. (b) Antequam fundamentum*  
*ponat, unde lucem ei infundat, explorat ; & ea*  
*prima est gratia, qua si desit, tota domus defor-*  
*mi horret inculta.*

Est

(a) *Vitruv. pref. l. 2. (b) Hex. l. 9.*  
*c. 9.*

Est ergo imprimis librorum multorum peritiâ opus, & judicii mediocritate in iis discernendis. Verum iis uti quæ illi suppeditant vel ad orationis divitias vel ad ornatum, labor est limati & acris judicii. Quâ in re, certâ observatione notatum est solere unumquemque id sibi seligere, quod suo genio convenientius & delectabilius occurrit; nunquam enim ferè dicendi ratio à dicentis genio recedit. Atque ut (*a*) neminem excelsi ingenii virum, humilia delectant & sordida; magnarum enim rerum species ad se vocat & extollit: sic Gallinaceos & sopi habet non paucos hæc optio; adamantes spernunt pro vermibus; præter festucas & paleas alii nihil norunt tollere, velut cerebrum gerant è croceo succino concretum; amant alii-colorem in floribus, odorem alii, picturam, liquorem, stillatam fragrantiam, Sepias, & narium opes. Mel apes, & uniusmodi semper dulcedinis, saporis, utilitatis, ex omni florum varietate amant & colligunt, præterea nihil. Prata sunt libri, plantis & floribus amæna, ubi visu quidam legisse contenti, sibi faciunt satis; eorum odore ac spiritu excitant alii lassum caput; multi fasces ex iis grandes metunt & remetunt; nonnulli texunt in coronas, exprimunt in succos eburneis feredos domibus, extillant in odores: norunt paucissimi

(a) *Quint.Dial.de Elog.*

cissimi ex rebus innumeris, maximèque diversis unius rationis saporis que mel ita legere, ut in instituto coaptatae idem dicant; & in unius tamen consensione propositi, elegantis varietas oblectamento non careant. Judicium sequitur hic rerum delectus, Judicio verò præter viam cuiusque genius, quo genio in peculiarem sibi stylum quisque afficitur.

Hinc sit ut fructus qui ex librorum lectio-  
ne colligitur rori sit quodammodo similis; qui  
dum excipitur margaritiferis conchis, parit  
uniones; dum putri combibitur arborum  
trunko, in fungos duntaxat ibidem generan-  
dos absumitur.

Porrò in parandâ rerum suppellefili,  
quam dixi, observo tam posse exsuperanda  
peccari quam defectu; Neque verò debet tam  
curta & tenuis parari, ut exitura sit in corpus  
Aristarchi, Philetæ, sceletispirantis, cuius en-  
metentur ossa, venarum ductus, nervorum fi-  
la, pulsantes arteriæ, pæne dixerim anima; nec  
accumulari tam grandi copiâ, ut si formandus  
sit ex eâ non homo, sed Typhoeus. Superflua  
rerum congeries, si (a) *Magnus* absit Deus,  
qualem priisci dixerem Amorem qui chaos dire-  
mit; seipsâ confunditur.

Ad hæc facit supervacaneus suppellefili  
seu materiæ conquirendæ labor, ut lecto jam  
inven-

(a) *Plutarch. sympos.*

inventorum flore, pœnitentia sprevisse reliqua,  
delectis saepe plura; videaturque magis judi-  
cii prodigi vitium, quam laus moderati, tem-  
pus simul & messem tam uberem perdere.  
Hinc dum nimis omnia perplacent; dum  
locus omnibus avidius queritur; composicio-  
nes crescunt ut ventres helluonum quibus  
plus est gulæ ut se ingurgitent, quam caloris  
& stomachi ut coquant. Hinc humoribus  
corruptis vitiatio corporum, defectio virium,  
oris pallor, centū ~~in~~ commoda. (a) Idem igitur  
in his, quibus aluntur ingenia, prestemus; ut  
quacumque haesimus non patiamur integra  
esse, ne aliena sint; sed coquamus illa.

Sic nobis pro lege statuemus, ut non est un-  
quam corpori indulgendum, quantum cape-  
re potest, sed quantum digerere; ita neque  
compositioni.

Sed jam electo argumento, dispositis parti-  
bus, quæ sita materiæ gazâ, suisque de-  
stinatâ locis; tempus est com-  
ponendi.



**HÆSITA-**

(a) *Senec. ep. 84.*

————

## HÆSITATIO EORUM quibus incæptu nihil diffi- cilius.

**S**unt quavis in arte, omniq[ue] negotio princi-  
cipia semper difficultia, & molesta. Vim po-  
scunt majorem primi gradus in rupem arduam,  
quibus superatis planiori deinde & commo-  
diori semitâ pergitur. Nulla fere ars est, in  
quam non meritò cadat hoc ad Phactonem  
sapientissimi parentis monitum,

(a) *Ardua prima via est, per quam vix ma-  
ne recentes  
Enituntur equi.*

Etiam in lucris negotiatorum nihil opero-  
sius quam exire extra paupertatem. (b) *Pecu-  
nia circa paupertatem (inquit Stoicus) pluri-  
mam moram habet : vix extra illam erexit.*  
Unde Lampus quærenti quo pacto in Crœ-  
sum ex Iro evasisset. In re, inquit, tenui facien-  
di

(a) *Ovid. l.2. Metam.* (b) *Plutar. An st-  
ni gerenda sit Resp.*

dâ noctes vigilans egi ; nunc in opulentâ re augendâ interdiu domiens supra modum ditesco. Pluris mihi stetit initio obolus, quâm nunc magnum talentum ; & tantis in opibus laboris nihil mihi supereft, nisi ejus quem hausi in excutiendâ paupertate. Hujus novi scriptores difficultatis improviso terrentur aditu, dum præter spem experiuntur arentem venam, mentem ægrè aliquid aptè suggestentem, animi sensa tum pauca tum vilia. Quid plura? Impatientes sui, seipſi vel damnant tanquam inhabiles muneri; vel munus odere, cuius etiam primas ferre non valent molestias.

At enim debent meminisse nocturnas te nebras in medium diem puncto temporis non exire; primam lucem præire, multâ primum offusam caligine, ac paulò post albescentem; inde sequi auroram colore, & lumine ditiorem; Solem denique, sed turbidum, tremulum, obliquum, & quasi in arduo ascensionis præcipiti laborantem, donec in summum cœli cardinem evaserit. Meminerint etiam hominem priusquam homo sit, consistat, loquatur, currat, eloquatur; infante esse oportere, reptare, sustineri, vagire, balbutire, verba discere syllabatim, & reddere; magnos viros non edi ut statuas fusiles; fingi, scalpi, elaborari ut marmora. An verò Apelles, Zeuxes,

Zeuxes, Parrhasii : quorum opera ut carent  
animâ , illam tamen spirabant; primo penicil-  
li,scalprorum & colorum contactu, artis prin-  
cipatum sunt assediti ? An de sexcentis illo-  
rum adhuc tironum conatibus, non plurimi sic  
aberrarunt à recto , ut iis subscribi debuerit  
Leo,Lupus,aut quidquid depingere in animo  
habuissent ; ne quidvis aliud divinaretur ab iis  
designatum? Enim verò natura ipsa artificum,  
& artium magistra , antequam lilyum conde-  
ret artificii summi opus grande ; periclitari  
manum suam voluit in convolvulis candidis,  
quos propterea vocavit Plinius (*a*) *natura ru-*  
*dimentum lilia facere condiscens.*

Si vidissent hi qui tam facile animum de-  
spondent, Romam suo cum Jove,templo &  
Capitolio , orbis universi spoliis locupletato;  
divinassem nimirum, qualis & quantula prin-  
cipio fuisset ; cum

(*b*) *Iupiter angustâ vix totus stabat in ade*  
*Inque Iovis dextrâ fictile fulmen erat.*

Ex hoc seminis grano, palma illa surrexit,  
quæ condecoravit triumphos omnes quo-  
cumque Capitolium spectavit , lege rebus  
mortalibus communi, ut oriantur primum  
fontes exigui , & obscuro natali , inde fluant  
in

(*a*) *Lib. 21. cap. 5.* (*b*) *Ovid. lib. 1. Fast.*

in rivos, volvantur in flumina, fundantur de-  
mum in maria.

Etsi enim fontes ingentium fluminum, pa-  
tientes sunt interdum vastarum navium ; &  
qui gradus omnes literaturæ præcellentis su-  
peraturi sunt aliquando, jam prope ab ortu  
singularibus signis interdum id portendunt, ut  
is qui

*Monstra superavit prius  
Quam nosse posset;*

Et qui elidendis draconibus adhuc infans,  
prælusit Hydræ : hæ tamen paucorum tam  
illustres & amplæ gloriæ, non omnibus pari-  
ter obveniunt : quin etiam felicitatis ostenta  
sunt potius quam facilitatis ; & ingenii habi-  
lis, quam artis. Illis itaque qui difficiliora ex-  
periuntur propositi sibi operis initia, non est  
propterea cœptis cedendum, quod aspera sint,  
& minus pervia ; nec dimittendus ignaviter  
Proreus, si primis se forte nodis exuerit. Ca-  
veant ne affectent magisterium ante scholam:  
atque adeo, destinantibus animo præclarum  
aliquid, satis sit illis, si cœperint.

(a) Qualis speluncâ subitò commota columba,  
 Cui domus, & dulces latebroso in pumice  
 nidi;  
*Fertur in arva volans, plausumque exterrita  
 pennis*  
*Dat tecto ingentem. Max aero lapsa quieto  
 Radit iter liquidum, celeres neque commovit  
 alas.*

Sic, meticulosi; sic vestro planè ingenio  
 fiet. Alis nunc fortiter concurriss contendat  
 oportet laborioso nisu ad volatum; erit, nec  
 multo post erit, cum tranquillis alis in spon-  
 taneos volatus ulro se vestrum ingenium ef-  
 ferat, & componendi usu jam docile, nihil  
 cunctetur eorum quæ voleris; & praeter  
 quidquid jutleritis.



*A C C O M M O D A N D A*  
*est variis Argumentis styli  
 varietas.*

**A**D stylum devenimus, seu loquendi for-  
 matam, vel (ut nominabat Hermogenes)  
 Ideam,

(a) Virgil. lib. 3. Æn.

Ideam, quâ uti eos oporteat qui scribunt.

Quâ in re quidquid est observatu dignum ad Quanti, & Qualis conditionem revocatur. Priori mensuram prolixitas ponit aut brevitas: alteri efficax dicendi ratio vel imbecillitas. Cumque his duorum generum singulis extrema duo sint & quiddam præterea iis extremitis interjectum; inde fit, ut Quanto intelligatur summa prolixitas & summa brevitas cum interjectâ mediocritate: Quali autem; sublime, medium, & imum. Adhibuere tres primos characteres ad dicendum populi tres; prolixitatem summam Asiani, brevitatem summam Spartiatæ, Attici mediocritatem: tres alteros, ex (a) M. Tullio usurparunt, quicumque excelluere in dicendo: nemmo non eorum magnus in singulis, & mirabilis fuit.

Asiatici styli laus est inemendabilis, ut prolixitate enecet audientes; & de quocumque instituerit dicere, dicat non quicquid debet; verum, ut ille apud (b) Senecam, quidquid potest. Carnificem aurium nominat (c) Scaliger; Verborum mare sine micâ salis. (d) Nullo enim certo pondere innixus verbis humidis, & lapsantibus diffuit. Cujus orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore:

S 2.                    ut

(a) *Orat. ad Brutum* (b) *Proœm. l. 7.* (c)  
*Controv.* (d) *A Gell. l. 1.c.15.*

316      *Character Hominis literati.*  
ut mirum sit perorantibus illis aliquos habere  
aures quibus audire velint, cum pedes valeant  
quibus valeant aliò se conferre; quod garrulo  
euidam Aristoteles exprobravit. Quis non ali-  
quando observavit prisca instrumenta veter-  
rum scripturarum, pergamenis commissa  
membranis, cujusmodi præferant literas? quo  
apicibus, ductibus, coloribus illusas? Sed  
nihil denique præter A. vel B tibi exhibent;  
ut nec Asiaticus stylus quidquam offert, nisi  
rem unam centum verbis.

Laconicus purus, huic ex opposito adver-  
sus, Hieroglyphica magis adhibet quam ver-  
ba; (a) ut in picturis Parrhasii, plus intelligitur  
quam pingatur. Studet enim ut paucissimis ver-  
bis, plurimas res comprehendat. Quod de Tha-  
cydide notavit Halicarnassius. Tres ejus pe-  
riodi arctantur in lineam; orationem prope  
unam tres lineæ integrant; vox omnis, quia  
etiam omnis prope syllaba ictus securis est,  
quod de Phocionis dictione ajebat Demo-  
sthenes.

Inter hos medius incedit Atricus *velut*  
temperatum ex utroque electrum, insulfatae  
Asiatici purgatae; enubilato Laconici obscu-  
ro; illius retinet perspicuitatem, efficaciam  
istius: ut corpus bene compositum, quod nec  
totum caro, nec totum nervus est; sed agit  
caro

(a) *Plin. de Nat. Hist.*

caro partes suas in pulchritudine, nervus in robore. (a) Attico verbum qui detrahit, is detrahit non aliquid *de sententiâ* ut olim Lysiae verum ut Platonis *elegantia* non parum detrahit. Expeditum habet, quem vocaverat Seneca (b) *Pugnatorium mucronem*, quo destituitur Asiaticus : sed eo certat haud paulò securius atque habilius, quam consuesset Laconicus ; ictum vibrans nullum, quem nolit esse decretorium; atque, ut de se Regulus, semper punctum cädens, semper jugulum causæ petens ; at enim cum eo semper periculo, (c) ne genu sit aut talus ubi jugulum putat.

Hoc scriptionis discrimen utroque extremo vitiosum, in medio optimum, non admittit stylus sub unâ qualitatis habitudine diversus. Hic enim ubique laudabilis & præstans est, licet non pari ubique laude excellat.

(d) Hoc ut clarius exponam, memoria repeto quod Aristoteles docuit, & M. Tullius, persuadendi attem, potentissimis niti præfidiis tribus, quibus evincat quidquid petierit ; docendo videlicet, delectando & movendo. Hæc verò tria, ut sunt officiis maximè diversa, characteribus etiam dicendi, & formis ut plurimum diversis. Genus infimum styli seu dicendi, Eloquentiæ parens his claudit fini-

S 3 bus,

(a) *Gell.l.2.c.20.* (b) *Proæm.l.2. Cont.* (c)  
*Gell.l.2.c.20.* (d) *Rhet.l.2.Orat.ad Brut.*

318      *Character Hominis literati,*  
bus, ut sit *Acutum*, *omnia docens*, & *dilucidiora non ampliora faciens*, *subtili quadam*, &  
*pressâ oratione limatum*. Hujus sunt dotes  
*potissimæ*, *distinctio*, *perspicuitas*, *ordo*, *elegantia* & *proprietas verborum*, *procul translati*s fideliter significantium. Non fulgurat,  
non tonat, non fulminat, non ambit illam di-  
cendi magnificentiam & amplitudinem, quâ  
sublimis oratio superbit.

Medium, *Insigne & florens est*, *pictum &*  
*expolitum*, *in quo omnes verborum, omnes sen-*  
*tentiarum illigantur lepores*. Neque enim illi  
*propositum est animos perturbare*, *sed placare*  
*potius*; nec tam *persuadere quam detectare*. *Con-*  
*cinnas* igitur *sententias exquirit magis quam* quâ  
*probabile*; à re sape *discedit*, *intexit fabulas*,  
*verba apertius transfert*, *eaque ita disponit ut*  
*pictores varietatem colorum*. *Paria paribus re-*  
*fert*, *adversa contrariis*, *sepissimeque similiter ex-*  
*trema definit &c.*

Supremum denique orationis genus re-  
gium est, *imperiosum*, *vi suavissimâ audienc-*  
*tium voluntates domans & rapiens* in omne  
*arbitrii sui obsequium*, *Ad hoc nihil omittit*  
*sensorum sublimium, rationum & sententia-*  
*xum nullum pondus*, *vires attis & verborum*  
*nullas*: *amplius est*, *magnificum*, *eloquens*,  
*torrentis*, *sed maxime limpidum*; *figuris &*  
*motibus variis*, *sed prudenter commixtis*

*nubes*

nubes aquis fœta, & ignibus; fulminibus & imbri. Hujus iconem dictionis ex Quintilio  
nō huc transfero. (a) *Quæ saxa devolvit, &*  
*pontem indignatur, & ripas sibi facit, multa ac*  
*torrens. Iudicē vel obnitentem contrā ferens; co-*  
*gensque ire quā rapit. Ea defunctos excitat, apud*  
*eam patria clamat, & alloquitur aliquem. Am-*  
*plificat, atque extollit orationem, & vi superla-*  
*tionum quoque erigit. Deos ipsos in congressum*  
*quoque suum sermonesque deducit.*

Hi sunt characteres & formæ dicendi, se  
solis conceptæ obiter potius quam descriptæ.  
Plura qui avebit dicendi magistros consulet:  
hæc mihi plus satis ad sequens monitum; nem-  
pe varietati rerum singularum, accommodari  
stylum oportere, ut lucem coloribus, quæ se-  
tam constanter tam diversas transfigurat in  
formas. Alia est scena Tragicorum a Comi-  
cis; alia Bucolicorum ab utrisque. Rure, syl-  
vis, mapali hæc tenditur; Comica casis humili-  
bus & plebeis; palatiis & templis Tragica.  
Coæquanda est materiæ dictio; nec dignam  
cothurno plebejus foccus nisi ridiculè sustine-  
bit, nec vice versâ plebejo in foccotragœdias,  
nisi admodum imprudenter eloquentia mo-  
vebit.

Omnem denique styli usum debet eadem  
solertiâ regere, quam adhibuerunt antiqui fuso-

S 4

res

(a) *Lib. 2. c. 2.*

res in conformatione statuarum ; nec enim quolibet ex metallo Deorum quemlibet fingebant ; sed attemperabant eorum naturæ metalla variè commixta, sic ut molles aut crudeli, sereni aut horridi, splendentes aut fusci ex officina fusoriâ exirent. Hinc laudatissimi famam judicii adeptus est Alcyon , quod rotum ex ferro fecisset Herculem , (a) *Laborum Dei patientiâ inductus.* Nec verò integris solum argumentis , debet styli conditio respondere, sed singulis etiam eorum partibus , quæ ubicumque scribenti occurunt diversæ , pro diversitate quoque singularum mutandus est dicendi character ; utque interdum in tragicis , scena mutatur in rusticam , ac vel ex licentiâ veteri quidpiam satyricum , vel aliquid ex usu recenti pastoritum interjicitur ; sic ubi in ipso scribenda orationis cursu materia se nobis objicit , alterius generis & dignitatis ab eâ quæ proposita nobis initio fuerat ; (b) adhibenda huic erit congrua dictionis conditio , & ex consilio Senecæ , aliquid tragicè grande , aliquid comicè exile dicendum est.

Quia ut inter se plurimum differunt ejusdem quoque materiæ articuli varii , narrations à probationibus , & probationes à motibus ; sic modum exigunt dictionis multum dissimilem.

(a) *Plin.l.34.c.14.* (b) *Ep. III..*

milem. (a) *Omnibus igitur dicendi formis utatur orator, nec pro causâ tantum, sed pro partibus causa.* Itaque totam molis alicujus lucubrationem attente qui legerit, non minus illic noverit varietatis decoræ & venustæ, quam in theatris; in quibus (ut ait Horatius)

(b) *Intererit multum Davusne loquatur, an heros;*

*Maturusne senex, an adhuc florente juventâ  
Fervidus; an matrona potens, an sedulâ nutritrix;*

*Mercatorne vagus, culterne virentis agelli;  
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus an Argis.*

Quibus item personis, & cujusque personæ partibus, sui debent tribui affectus proprii & diversi.

— *Tristitia mestum*

*Vultum verba decent; iratum plena minarum;*

*Ludentem lascina; severum seria dictu.*

Eodem planè modo, pro ratione orationis compositionis, variandus est multis modis stylus; (c) estque ille, quem diu quæsierat Tullius, orator omni ex parte absolutus, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere.

S S

DE

(a) *Quintil. l.12.c.10.* (b) *In arte Poetica.*  
(c) *Orat. ad Brut.*

ganz.

Videbor hanc dis-  
cretam formam illam  
cum ut omnia in se posse  
certum cu[m] firmum.  
sc. Contineat autem  
expectationem solidi  
ferto; quem si quis non est  
sublimium, ut qui torus si-  
que caperetus. Hunc de-  
finim partibus animarum p[ro]p[ri]e-  
tatum, sicut monosocialis  
terris, n[on] unquam habens  
tempore coeli aura super-  
stitio. Rerum quae conceptione  
h[ab]ent cogitationum sublimia  
peii magni novus amulius  
(a) variori luxuria quam tristitia  
(a) Plin.l.37.c.2.

lit effigiem ex adamantibus, pyropis, sapphitis, carbunculis, gemmisque, tanto fictam & pictam miraculo, ut inter tot opes, & opus ex iis consecutum, dubia penderent de pretio illorum iudicia. Venus illa (*a*) quam *Graci Charita vocitabant*, nullius praeterquam Apellis penicillo deberi dicebatur ab ipsomet etiam Apelle. Omnis gratiam compositionis, uni sibi stylus hic arrogat ; ita rerum figuras ad vivum refert, ita nihil spirat nisi vivax. Et verò hanc esse modò tenendam dicendi, scribendi- que rationem styli hujus patroni contendunt : non esse nunc homines, ut cum olim quercubus editi, glandes pro tragematis esitabant : gustu in literis tam delicato & acuto esse illos, nihil ut auribus jam admittant (quæ sunt animora ) nisi saporis pretiosi, & quod gemmâ capaci porrigatur. Solus est hic stylus scilicet, in quo (*b*) *turbâ gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices*.

Prisca illa dicendi ratio inanis & vacua, horarum multarum oratione, longas instruit mensas, & epulas, & moras ; sed hinc famem quam tulerat reportat conviya ; & plenus frondibus verborum, sed fructu vacuus & cibo esurit. At hic novitus dicendi character, *moderna* (verbo sit venia) ætatis & inventi; eâ ciborum & copiâ, & varietate, & delectu mensas

(*a*) *Plin lib. 25. c. 10.* (*b*) *Plin proœm. l. 43.*

mensas appositam onerat, ut primi sapores ad alios mox secuturos, famem jam saturam incendant, & convivas perpetuò satietatem inter & famem jucundissimè teneant.

(a) Qui certè mos fuit cœnarum veterum, de quibus ita Gellius scribit, *Dum libentissimè edis, tunc auferitur, & alia esca melior, atque amplior succenturiatur; isque Flos cœna habetur.* Nec quia his stylus juvenili est ore ac formoso, idcirco muliebris esse existimandus est & mollis, minusque nervosus ad persuadendum: nihil ei roboris adimit gratia, & narrunt milites Cæsaris (b) etiam unguentati bone pugnare. Scutum Ajax ostenter ad horrem sine arte, sine ornatu, septemplici corio tectum: non minus fortiter Achilles scuto pugnabit aureo, & adamantibus persperso. Alcibiades denique cogitetur æquali mentis generositate, & oris specie; coronatâ floribus galeâ, & lago Attalico Ionicam tegente; ornatu eodem egregiè pugnans, quo alii triumphant.

Hæc est novorum hominum styli novitii, quem solum probant, defensio. Labor quivis, illo si careat cogitationum non expectatarum (sive, ut nominant, conceptuum) tormento, indignus est illorum oculis. Eorum palato uibat  
Sapit

(a) *Gell. l.14.c.8.* (b) *Sitet. in Iul.c.6.*

sapit, nisi acutum sapit, cætera iis melimela,  
satuæque mariscæ. Res tandem, quas falsò  
putant iis subesse, sic adorant, ut ludo suo lusi  
præter otiosum conceptuum nomen nihil  
adorent; ejusdem scommatis jure rei, quo  
illam perstrinxit Martialis cultricem unio-  
nam.

(a) *Non per mystica sacra Dyndimenes,*  
*Nec per Niliaca bovem Invence,*  
*Nulos denique per Deos, Deasque,*  
*Iurat Gellia, sed per uniones.*

Negant alii, hunc esse stylum novitium,  
& hujus ætatis, cui nomen *moderno* faciunt:  
petendam esse illiusIconem ex relictâ à Quin-  
ciano antiquâ tabulâ, tametsi is non fuerit  
primus ejus pictor. (b) Verùm enim verò  
antiquus sit stylus ille aut novus; plausu ex-  
ceptus vel explosus, si lance limati judicîi  
perpendatur, boni ponderis unciam non  
dabit; si ejus vel usum vel naturam spectes,  
mera est levitas, nihil solidi continens, quia  
vanitas totus, & præter inanitatem nihil est.  
Indorum Occidentalium fatuitati nihil si-  
milius, quam styli hujuscè præcones: plus  
est illis vitri fragmen, quam gemma; plu-  
ris tintinnabulum æneum, quam auri

T pondus:

(a) L.8. Ep. 8. (b) Lj. 6. 12. cap. 10.

(a) *Bo. 125.* (b) *Pan. 126.*  
(c) *Bo. 127.* (d) *Pan. 128.*

in eas intexunt, quicquid vel inseri postulat, vel potest intrudi. Eorum itaque tot partes cum videris, maledictum tibi occurret indignanti, quo alter Plinius superstiosum perstrinxit auctorem antidoti, quinquaginta quatuor pharmacis, & nonnullorum particulis ita minutis, ut sensum fugiant compendi. *Mithridaticum antidotum*, ex rebus quinquaginta quatuor componitur; inter eas nullo pondere aequali, & quarundam rerum sexagesimā denariū unius imperatā. Quo Deorum perfidiam istam monstrante? hominum enim subtilitas tanta esse non potuit. Ostentatio artis, & portentosa scientie venditatio manifesta est; ac ne ipsi quidem illam neverunt. Eodem ex fonte oritur periodorum comminutio solemnis in multa & truncata incisa, ob congeriem regularum, quarum unaquæque absolvit sententiam, & cogitationem mutat; (a) Et tam subito desinunt, ut non brevia sint, sed abrupta: imò, ut alter Seneca, non desinunt, sed cadunt, ubi minimè expectes redditura.

Demum ne quod dicunt, dicere unquam videantur, centies id dicunt: quodque Manilius, de inchoantibus semper novum vitæ genus egregiè scripsit,

*Victuros agimus semper, neque discimus unquam.*

T 2

Hoc

i (a) *Senec. prol. 2. contr. Ep. 100.*

*Hoc isti bellè in se vertunt,*

*Dicturos agimus semper, neque dicimus unquam,*

Eam ob rem eorum scriptiones, mirè ludum joci cruciabilis referunt, quem apud inferos Seneca Imperatori Claudio tribuit, ut semper missurus tesseras, mittere nunquam posset.

*Nam quoties missurus erat resonante frithillo,*

*Vitraque subducto fugiebat tessera fundo :*

*Cumque recollectos arderet mistere talos,*

*Lusuro similis semper, semperque potens,*

*Decepere fidem.*

Triumphant tamen isti, & regnare possimū ingeniorum primipili, in descriptiōnibus pingendis, ad quas ut venerint, illud sibi occidunt, hic Rhodus, hic Salēa.

Verū tantâ illâ contentionē artis & animi, quæ gigantæas sectatur hyperboles, dum se à vero æqualiter, & verosimili removent, quò putant se majora dicere, hoc dicunt minorā & minutiora. De quibus (ad eo sunt puerilia) simile aliquid Dotion dixerit, quod de tempestate terribiliter à Timortheo descriptâ, (a) Majorem se in ferventi olla vidisse.


Quid

(a) *Athen. l. 8.*

Quid esset dicturus hodie, ille delicati iudicij Favorinus, qui Enceladum legens sub Æthnâ fulminantem:

— *Liquefactaque saxa sub auras,  
Cum gemitu glomerantem,*

censuit poetam de Gigante, & Æthnâ fabulantem, (a) omnium que monstra dicuntur, monstrofissimum? Quid, (inquam) nunc diceret, si audiret *rosas ad genarum purpureâ luce radiantium conspectum sanguine minui;* flecti arcus admirationis ex superciliis in triumphum virtutis aliena; decurri aternitatis campos passibus meritorum, &c. cujusmodi sunt istorum ridiculæ proceritatis affectationes, non in argumentis solum illustribus & per se se magnis; sed in familiari etiam sermone, rebusque vix bipalmaribus.



(a) *Gell. L. 17.*

॥१॥ ॥२॥ ॥३॥ ॥४॥ ॥५॥ ॥६॥ ॥७॥

*UBINAM ERRET IUDICIVM  
in usu floridioris styli, & nimis  
exquisiti.*

DE hoc usu pre suo quisque genio, & rationibus quæ se illi offerunt, ut volet, sentiat. Ego quoniam id postulare videtur propositi mihi argumenti ratio, ut ex animi mei sensu aliquid in eâ re pronuntiem, hos flores statuo velut gemmas esse, ac proinde pretium illorum ex natuâ, & usu aestimo. Non sunt adulteria florum, sed flores legitimi; non projiciantur passim & temere, sed suis disponantur locis. Prius illud Ingenii pensum est; cujus est illos invenire; Judicij alterum, cujus est illos disponere. Ne legat Ingenium crystalla vulgaria pro adamantibus; ne intrudat Judicium per vim quam nolunt, & à quo abhorrent; nec, ut Indorum Occidentalium barbari, cutem oris incidat ad inferendas illi gemmas; cujus incisionis vulnere turpius deformantur, quam luce gemmarum decorentur. Suam habet vulnus nativam speciem adscitiâ quâvis pulchrio-

chriorem. Pejus illum deturpat insertum margaritum, quām inustus ab naturā nævus. Dicendo scribendōque, pulchriora sunt quæ magis propria, minūsque percolata; ut etiam tabulæ, in quibus, pictor, (a) ne errare quidem debet in melius.

Fuderat Lysippus Alexandrum eā oris vivi similitudine, ut ejus anima spirare illo in ære videretur tantum Regem. Nero in beneficiis etiam crudelis, & damnosus dum iuvat; inter alia Græciæ spolia statuam illam nactus, putavit dignius sub auro quām sub alio quovis metallo futuram, & crustam illi auream curavit, ignorans stolidus æris cruditate militares illos Alexandri vultus referri melius quām nitore metalli fœminei. Inauratus igitur Alexander esse opus desiit Lysippi & vivere; videri cœpit mortuus, nec jam Alexander. Quare statim errorem emendatio corrigit, excoriatur aureus Alexander Neronis culpâ; multo limæ ductu cutis illi aurea detrahitur; evaditque nihilominus lacer, & derasus, primo in ære pulchrior quām in auro. (b) Cum pretio periisset gratia artis, detractum est aurum, pretiosiorque talis astimatur, etiam cicatricibus operis atque conscißuris, in quibus aurum hæserat remanentibus.

T 4

Non

(a) Plin. Iun. (b) Plin. l. 34. c. 8.

332      *Charakter hominis literati;*  
Non sunt ornamenta ubique ornamento;  
de honestant subinde; ubi nempe,

*Ornari res ipsa negat, contenta doceri.*

Superfluis, & improbo studio conqui-  
sitis diffluere; seque ornatu illo effere al-  
tius, nota est Iogenii divitis, & Judicij in-  
opis.

In affectibus deinde sive exprimendis,  
seu movendis; ( quod ut summum dicen-  
di, ac princeps opus est, sic summe arduum  
factuque difficile ) calliditate exquisitâ in-  
deprehensâ prudentiæ, ars omnis naturæ  
specie sic prætexenda est, ut ī animi mo-  
tus, non mentis dictatum videatur, sed erup-  
tio doloris; cāque non elaborata sed na-  
ta; non studio facta, sed dicentem occu-  
pans & afficiens vel invitum, coactumque  
ipsā rerum conditione de quibus agitur. Hic  
vero quem usum habet exstillatus hic ad lu-  
cernam stylus, tormentum translatorum, al-  
lusiones ambiguæ, acumina sensuum scal-  
pendis auribus, quam movendis animis eru-  
ditiora? *Mortuum non artifex fistula, sed sim-*  
*plex plangit affectio, inquit aureus verè Chry-*  
*sologus.*

Ad me quidem quod attinet, talibus cro-  
talis tentantem affectus dum audio, tamquæ

10-

inepto, & absurdō comptioris stylī chorāgio; linguæ vix impero, quin erumpam in illud, *Vtinam allium oleres*, quo prudens princeps delibutum unguentis & mosco aulicum, ab se & ab aulā abegit.

Polus ille, supremus suo ævo theatrorum magister, quibus & oculis & auribus ferret stylī hujus muliebris puerilitates, & mera crepundia? Ipse in Hecubæ personā occisum Hectorem ploraturus, filioli sui paulo ante sepulti refosiam urnam, pro Hectoris ossibus in scenam portavit; permissoque naturæ, lamentatricis arte, & officio præficæ; veris & acerbissimis lachrymis orbus pater amissum filium sub larvâ Hecubæ deflevit. Movendorum scilicet stylus affectuum tantò validior; verior, penetrabilior est; quantò naturæ similior: nec Ingenio tunc vacat, ingeniosi captare nomen, cum turba flebilium aut atrocium cogitationum animum succutit; nec transferre verba, legere, comere, ornare, cum turbido impetu ad linguam confluunt, impressionem in audentium animos factura. Imò quem regit sagax Judicium si quid tunc emicet, si quid se ingerat fœcundioris venæ & cultioris acuminis, omittit in aliud tempus, & rejiciendo id in præsentia, Horatianum illud cogi-

T 5 tat,

tat, (a) *Et non erat his locus.* Quâ in re prudenter, magister oculis animum castigat. Nam ut i<sup>l</sup> luce perstricti nimia, partem ejus molestam strictâ pupillâ commodè excludunt: sic ille nimiam atque importunam subtilium copiam. Sic Aristonidas Athamanæ pudorem, furias, dolorem æ: eā statuā expulsus, ferrum ære commiscuit; ejusque splendorem, hujus rubigine temperavit, eventu ita plausibili; ut quò minus dives, hoc pretiosior æstimaretur labor; & ferri vitio in æris virtutem solerter transcripto, tanto auro væniret.

Ubicumque tandem, rem agi seriò oportet, pugnando, convincendo, objurgando, damnando, vel reum vel crimen; pro tonitru cantum; pro telis fulminum, rosarum jacula mittere, & imbre croceum; pro torrente periodo, Sylvanos & siphunculos fontium; nemo non videt quām sit à vincendis causis alienum. (b) *Non enim amputata oratio, & abscissa; sed lata, & magnifica, & excelsa; tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, ac misceret.* Nervosâ nimirum ac masculâ opus est, severâ & gravi. Nihil exquisitiū comptum, nihil muliebriter elegans, nihil molle præfere debet: sed Plutonem potius referat oportet de quo Poëta tragicus,

(a) —— *Vultus est illi Fovis;*  
*Sed fulminantis.*

Quām est absurdum (inquit Hippocrates) pingendis aēu fasciis studiosius nugāti, quām in vulneribus glutinandis; veluti horum sit balsamum, elegantia fasciarum. Lævigando ferro & expoliendo adhibetur lima, & quidem usu longo attrita. Ast tibi ærugine præsertim diuturnā liberandum est, necesse est lima mordeat, dentes altius figat, ac denique fortius arrodat. (b) *Quid aures meas scalpis?* *Quid oblectas?* *Aliud agitur.* Vrendus, secundus, abstinentius sum. Ad hac adhibitus es. Tantum negotii habes quantum in pestilentia medicus. Circa verba occupatus es.

Stringendus in vitia stylus, ensis est militaris, cuius prima latus non in auro cochleæ, nec in capuli adamantibus, sed in durati chalybis invictâ temperatione posita est. (c) Quantò gemmis & auro fit gravior, tantò difficilius prehenditur, & impeditius versatur.

Acutè juvenem Epaminondas risit, gladii sui ligneum capulum irridentem. Ferro (inquit) tecum pugnabo, non capulo. Risum tibi nunc movet capulus; ciebit tunc fletus, &

T 6 lachry-

(a) *Hercul. sur.* (b) *Senec. Ep. 95.* (c) *Synes. de Regno.*

Sit ergo styli pugnacis & serii ornatus bellicus, non sponsalitius; linguam telis ~~armis~~, non floribus oneret, ad omnem periodum spuendis; quasi verò scelera scarabæi forent, florum odoribus necandi; vel præfocandi essent rosis adversarii; ut inter alia delirasse fertur Heliogabalus.

Inauditum est stultitiae genus, saltando pugnare: & vibrando ictus saltibus modulari. Ludum abhorret, strictus & nudus ensis: ictus plagam facturus in hostis pectora, nec in eo qui mittit habet illecebras, nec in co profecto qui excipit.

Nec sit propterea qui putet huic stylem gravi & serio dores eximias deesse, quod clumbem vitet argutiarum venustatem: pulchrum non facit leonem comptajuba, nec ungues inaurati, aut cinctum collo crotalium, & foratae margaritis aures. Hoc est leo pulchrior, quod horribilior aspectu; hoc melior, quod majorem spirat ferociam, & spectantium oculos à se magis avertit. (b) *Hic spiritu acer qualiter illum esse natura voluit, speciosus ex horrido; cuius hic decor est, non sine timore aspici; præfertur illi languido et bracteo.*

De

(a) Tacit. (b) Sen. ep. 41.

—•—•—•—•—•—•—•—

## *De suorum cujusque Operum Examini & Emendatione.*

**A**Bsoluto labore compositionis ( de quo id solum institueram scribere , quod spectat ad Inventionem & ordinem rerum, modumque eas efferendi, ex fine mihi proposito ) superest ut expoliatur ad districtum severi judicis examen , singulis quibusque particulis operis ad morosum illius tribunal adductis, ut constet an ( quod in suo Remigio laudabat Sidonius ) insit scriptio ( a ) opportunitas in exemplis, fides in testimoniosis, proprietas in epistolis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis &c.

Expertus enim author comperiet rectè observarum à Senecâ, quæ flagrante stylo inculpatæ elegantiæ judicarat , ubi defebuit, videri jam alia, nec se authorem in iis agnoscere; fuscanse nimirum scribentis ardore judicii serenum , ne placide in limpido cernat, quod præcipitantiū approbat. Quamobrem

T 7

qua

( a ) *Lib. 9. Epist. 7.*

(a) *qua impetu placent, minus præstant ad munum relata.* Damnavatur à Quintilio præ properus ille furor, magis quām fervor scribentium, qui male meditati, ac velut impati, quicquid menti occurrit, in chartam effundunt. *Repetunt deinde & componunt qua effutierant: sed verba emendantur & numeri; manet in rebus temerè congestis, qua fuit levitas.* Quare, inquit, ipsis præcipue in tirociniis scribendi, consideratè ac lente res agatur; sua rebus assignentur loca; felicitur verba, non projiciantur; nec bonum putetur, quod citò adest. (b) *Non enim citò scribendo fit, ut bene scribatur; sed bene scribensdo, ut citò.*

Maro, quantus judicio vir: tamen gradatim componendo, profitebatur se (c) more atque ritu ursino parere; versusque post partum singulos lingendo perpolire, ut solent ursæ lingere catulos & formare, alioqui non solum deformes sed planè informes. Non solum igitur suæ sunt cuique formandæ luebrationes, verùm etiam reformandæ; ne quod prætermissum à nobis fuerit, censurâ præstetur alienâ; eaque tantò magis inexorabili, quanto nævis nostris mitius à nobis parcitum

(a) *Sen. Epist. 100. Lib. 10. cap. 3.* (b) *Ibid.*  
(c) *Favorin. apud Gell. l. 7. c. 10.*

tum fuerit. Præit nobis ad hoc suo exemplo Deus, dum ab se conditum die uno mundum, quinque ornavit diebus. Cœlo tenebras admittit, sterilitatem solo, stellarum luce cœlum, terram floribus vestit; quoad opus suâ perfectum manu, suâ ipse met dignatus est laude. *Et requievit ab omni opere quod patrarat.*

Non erat illi difficile, orbem perfectum momento fundere: sed (a) prius (ut recte advertit Ambrosius) condit, & molitur res corporeas, deinde perficit, illuminat, absolvit. Imitatores enim suos nos esse voluit, ut prius faciamus aliqua, postea venustumus: ne dum simul utrumque adorimur, neutrum possimus implere.

Nolim tamen quemquam in partus suos sævire crudeliùs, nec singulas modo illorum sententias, sed verba etiam vexare; quasi *μυστικώτερα* quò magis torta. (b) Scripta enim sua (inquit Seneca) torquent, qui de singulis verbis in consilium veniunt. (c) Neque enim minus veniā dignum est, remissius quoddam & negligentius in corrigendis suis judicium, quam superstitiosa in eis morositas, & quædam veluti Protogenis lentitudo, manum de tabula tollere nescientis. Nihil inertia

(a) *Lib. i. cap. 7. Hexam.* (b) *Sidon. in Epist.*

(c) *Proœm. Contrapv.*

certia & negligens manus , compositioni superfluum adimit ; acrior censura & morosior etiam necessarium tollit : illa erratis parcens, pro illis boni nihil sufficit ; hæc supervacaneè deradendo, etiam bonum quod inerat, invitium vertit. (a) *Perfectum enim opus abolutumque non tam splendescit limâ quam determinatur ; Et nimia cura deterit magis quam emendat.*

Facit hic genius nunquam suâ plenè diligentia contentus, ut pensum idem millies retexatur, solvaturque hodie quod heri textum erat. Penelopis labor hic est, aut etiam Sisyphi ; quorum illa in eâdem semper retexendâ telâ, hic in saxo eodem volvendo & revolvendo, sine ullo vel operæ pretio, vel mortosi & improbi laboris fine insudabat. Sic Apollodorum sua in statuas quas sculpendo e-laborarat, armavere fastidia : quibus enim sibi ipse non satisfecerat , eas comminuebat irato malleo ipsâsque interdum impetebat & corrodebat dentibus ; quam ob causam apud sculptores Saturnus audiebat, qui suos necaret filios , & saxeos licet illos avidè crudeliterque devoraret. *Nunquid tu melius dicere vis quam potes ?* ajebat antiquus dicendi magister , tironem increpitans juvenem , qui cum

(a) *Plin. l. i. & 9. ep. 35.*

cum non posset dicere ut optabat , & dicere nollet ut poterat , triduum totum in orationis cuiusdam exordio desudaverat. Est hæc certa non quidem dicendi disciplina, sed nunquam dicendi ; cui sunt magis obnoxii excelsioris venæ adolescentes. Iis enim egregios spiritus ad dicendum cum infuderit natura, non possunt esse vulgari modulo contenti : sed neandum viribus tantum pollent ut possint assurgere altius. (a) *Accidit ingeniosis adolescentibus* ( inquit declamandi Romanus magister ) *ut labore consumantur, & in silentium usque descendant, nimia bene dicendi cupiditate. Quem enim verò mihi reperias tam cordatae mentis & judicii virum, cui tam cumulate satisfaciant sua, ut iis velut auro perfectissimæ obrusæ, nihil addi, nihil detrahi posse existimet ?*

Hunc Deus modum rebus imposuit ; ut nihil sit omni ex parte perfectum. Ne Sol quidem suâ caret fuligine, nec Luna maculis stellarum aliae sunt turbidæ , aliae tristiores ; sunt tamen cœli principalia corpora, nec idcirco spernenda, vel exterminanda, quod minus pulchritudinis præferant quam possent. Repetamus librorum memoriam, quoscumque fama ingenii, doctrinæ & artis, cum admi-

(a) *Quintil. apud Petrarac.*

admiratione omnium commendavit; vultus gerunt decoros & formosos, sed suo semper aliquo cum nævo; nec solum *bonus* aliquando dormitat *Homerus*, sed & *Argi* quantumvis *toti oculi*. Nam si quisque sua in lucem mittere negaret, nisi omnibus numeris absoluta, bonum librum mundus haberet nullum: sed quæ laudem in iis merentur, labecularum levium sic lanci præponderant, ut nostrorum operum commendatio quæ sit longè major quam reprehensio, minimè desperanda nobis esse videatur. Utamur consolatione, quæ mancos, gibberos, distortos astrologus quidam erigit. Tollite, ait in cœlum oculos, & in singula seorsum ejus sidera: non eadem omnia pulchritudinis specie commendantur. Sunt in iis quoque deformia nonnulla, sunt mutia pléraque & turpia.

(a) *Quòd si solerti circumspicis omnia curâ,*

*Fraudata invenies amissis sidera membris.*

*Scorpius in librâ consumit brachia: Taurus*

*Succidit incurvo claudus pede: lumina Can-*  
*cro*

*Desunt: Centauro superest & queritur u-*  
*num.*

*Sic nostros casus solatur mundus in astris:*

*Omnis cum caelo fortuna pendeat ordo.*

*Ipsaque debilibus formentur sidera membris.*

Hujus

(a) *Manil. lib. 2. astron.*

Hujus denique sagacis in retractatione nostrorum operum, & exquisitæ diligentia summa est & cardo, ut eorum judicium, censuram & correctionem amico credamus fido, intelligenti, perspicaci. Acutior est unus oculus in rebus alienis, quam duo in propriis: amoris in partus proprios dolosa necessitas hoc magis decipit, quod agit latentius. Vider alterius oculus aliena, ut verè sunt: noster ut ipse est bene aut perperam deterrus, judicat.  
 (a) *Familiariter domestica aspicimus, & semper judicio favor officit; nec est quod nos magis alienā judices adulazione perire, quam nostrā.*

Amicus fidelis vicem tibi præbebit illius speculi quo spectatore & censore Demosthenes recitans, quasi ante magistrum, emendabat quæ ab illo vidisset improbari.

Sed nihil prius & verius cavendum, quam ne censuræ hujus tam necessaria gratia ab amico exigatur, vel ut ritus urbani formula, vel ut laudationis ejus piscatio. Quin si modestius & verecundiùs illam ageret, expostulanda cum illo erit diffidentia amicitiae non satis liberæ, idemque erit similiter ut amicus ab oratore Cœlio in re simili lepidè objurgandus. (b) *Dic aliquid contrà, ut duo simus.* Est tamen ista præceptio tam perplexi, difficilisque officii, vix ut ullum reperias etiam in paucis

(a) *Sen. de transq. c. 8.* (b) *Sen. 2. de transq.*

344 *Characteris hominis literati,*  
cis intimum, qui hoc aut velit suscipere, aut  
nōrit exequi. Prægustatorem ingenii, & com-  
positionis alienæ nōmo libens agit. Viget ce-  
iamnum Philoxeni crudeliter interempti tri-  
stis memoria quem (a) Dionysius tyrannus  
cavo marmoreo vivum clausit; quod ejus in-  
tragœdiā, rogatus, notasset fideliter plurima,  
quæ decuisset emendari. Quippe erat soe-  
lus ille & sanguinolentus, edendis quām  
scribendis tragœdiis doctior. Ex amico tu  
quoque si quæres quod nolis audire, ad illum  
te mitto Horatii veterem Quintilianum.

*Si defendere delictum quām vertere malles;  
Nullum ultra verbum aut operam sumbat  
inanem,  
Quin sine rivali, tēque & tua solus amares.*

Sed jam diutiū Tiresiam egi, & creber  
excusque offensator, viam aliis secundum pro-  
ivi. Haud tamen propterea me pugnū ob-  
noxium reprehensioni, quod mortales limi-  
tentatim lævigare asperitatem ærogravis alienæ.  
Quis cotem secando idoneam requirit ad  
acuendam gladii aciem? Quis in Mercurio  
viam peregrinantibus indicante in triviis, pe-  
regrinandi peritiam, & celeritatem requirit?

Sen.

(a) *Plut. 2. de fort. Alex.*

Sensus cerebrum experts, (*a*) *sensum membris reliquis tradit*, ex Cassiodoro; quod ex eo fibræ omnium nervorum hauriant spiritus, quos per totum corpus ad animæ præclara officia transfundunt. Penicilli laudem, qui pingendo docet pingere, bene est, non sum promeritus: carbonis forte promerebor, qui mortuas lineas rudi præmittit figurarum designationi. Eaz licet pereant in picturâ, & coloribus obducantur, manet tamen earum vis, quæ coloribus ordinem, & regulam operi præscripsit.

(*a*) *De anim. pref.*

F I N I S.











